
NICOLAUS GROJEAN
DE INCUBO
Basel,1665









DISPUTATIO MEDICA
De
INCUBO

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA

Consensu & Authoritate Amplißimi & Gratiosißimi Senatus Asclepiadæi, in Celeberrima Rauracorum Academia

PRÆSIDE

VIRO Clarißimo & Excellentißimo

DN. JOH. RODOLPHO BURCARDO

Philosoph. & Medic. Doctore, Anatom. & Botan. Professore Ordinario, & Præceptore suo plurimùm observando

Publici Exercitii gratiâ

MYSTIS ASCLEPIADÆIS

ventilandam proponit

NICOLAUS GROIEAN

Biellensis.

Ad diem 23. Augusti An. M DC LXV.

In Auditorio Med. æstivo, horis consuetis.

BASILEÆ, Typis JOHAN. JACOBI DECKERI, Academiæ Typographi.

VIRO

Admodùm Generoso, Nobilissimo, Virtute, Prudentiâ, Consilioq; secundis & adversis rebus æquè Probatissimo

DN. JOH. HEINRICO LOCHMANNO Galliæ & Navarræ Regis Christianissimi in copiis Helvetiorum auxiliaribus Chiliarchæ Strenuissimo, Domino ac Patrono suo, omni observantiæ & cultûs genere venerando.

Nec non

VIRO

Nobilissimo, Spectatissimo, Prudentiâ, Integritate, plurimoq; rerum usu Clarissimo

DN. JOH. JACOBO MERVEILLEUX Tribuno apud Neocomenses Gravissimo, Domino & Fautori nullis non obsequiis perpetuùm colendo.

Hasce in Medicina suorum studiorum Primitias, ob varia accepta beneficia, in debiti amoris & gratitudinis testimonium, ad ulterioremq; benevolentiam sibi conciliandam

eâ quâ decet observantiâ & animi submissione

consecrat

NICOLAUS GROIEAN
Author & Respondens.



THESIS I.

INCUBUS (quem, bono cum Deo, examinare aggredimur) ab *incubando* dictus nobis videtur: cùm eo correpti, grave aliquod pondus, nocturno tempore, dum somni causâ jacent in lecto, sibi incumbere & pectus premere persuasum habeant; ita ut motu totius corporis ablato, voce prępedita & respiratione difficili, suffocari veluti videantur.

II.

Nonnulli *Incubi* nomen deducere malunt à Dæmonibus ita vocatis, quos; vel desuper in aëre dormienti incumbere, ab aërisque, quam efficiunt, immutatione, angorem & quandam suffocationem inducere, antiquitas credidit; vel revera in dormientes, præcipuè mulieres irruere, easque appetere, opprimere ac concubitum peragere, putavit.

III.

Apud Latinos affectus hic multis insignitur nominibus: à Scribon. Incubo vocatur: à Plin. Histor. Nat. lib. 25. Faunorum in quiete ludibrium, Suppressio nocturna: ab Arist. l. de Somn. & Vigil. Epilepsia nocturna, quam somni initio invadere scripsit: ab aliis Strangulator, Insultator, hominum Oppressor, Interfector puerorum, Gravedo, Dæmon, Fœmina barbata, &c.

IV.

A' Græcis communiter Ἐφιάλτης vocatur; vel ab homine ejus nominis, hunc affectum pati consueto, cujus natura erat post crapulas perpetuò dormire ad accipienda responsa; hujus meminisse putatur Virgilius l. 7. Æneid. sequentibus carminibus:

Pellibus incubuit stratis, somnosq; petivit:
Multa modis simulachra videt volitantia miris;

Et varias audit voces, fruiturq; Deorum
Colloquio, atq; imis Acheronta affatur Avernus.

vel potiùs ἀπὸ τῦ ἐφιάλλεσθαι, quod insilire, & supersilire significat: à Themison. referente Ægineta πνιγαλίων, ἀπὸ τῦ πνίγεσθαι, suffocari, strangulari: πνιγάμων ab aliis: à Dioscor. πνιγμὸς ἐνύπνιον, suffocatio per quietem: à quibusdam ἐπιβολὴ, teste Aureliano, i. e. Aggressio, Obstaculum.

V.

Arabes varia etiam Incubo tribuunt nomina. Avicen. libr. 1. Fen. 3. Doctr. 2. eum vocat Albodilem & Alchaton, quandoque Algiathun & Alveidalan, seu Albeidalan. Averrh. Elgadum, Haliavum. Alsaharav. Alcaidum.

VI.

A'Germanis, der Alp/ das Nachträtzlein/ Nachtmännlein/ Schrättlein/ appellatur: origine haud dubiè tracta ab Ethnicorum nonnullorum deliramentis, qui dormientes à Diis, Semidiis, Cacodæmonibus, Cupidine, Faunis, Sylvanis, Pythonibus, Magis, Strigibus &c. opprimi & strangulari putabant.

VII.

Quidam per Incubum intelligunt Morbum in specie dictum; plurimi verò (& quidem rectiùs) symptoma aliquod, nim. functionum animalium & vitalium læsarum, quibus & nos assentientes eum in sequentem modum definiemus.

VIII.

Incubus, est imaginatio depravata ponderis gravis, tempore somni, thoraci incumbentis, cum motu ejus diminuto, reliqui corporis ablato, voce impedita & timore vehementi, à copiosis ac crassis vaporibus, ex pituita crassa aut Melancholia circum præcordia restagnante, & plerunque per crapulam & cruditatem turgescente, genitis, qui primò Diaphragma & Pulmones premunt, deinde in caput elevati, perturbationem spirituum animalium & obstructionem nervorum causantur.

IX.

Genus itaque constituimus actiones Animales diversimodè læsas; Imaginationem scil. depravatam, Motum thoracis imminutum, reliqui corporis ablatum, vocem præpeditam, ut &
actionem

actionem Vitalem læsam, scil. Timorem; quippe quod affectibus etiam aliis comune est, & hujus essentiam genericam componit.

X.

Differentiam, quâ ab aliis distinguitur symptomatibus, desumpsimus 1. A' peculiari imaginationis depravatæ specie, scil. *imaginatione ponderis gravis thoraci incumbentis*, quâ ab aliis præcipuè affectibus differre existimamus, nim. Typhomania, Ecstasi naturali, Delirio simplici, Phrenitide, Melancholia, Mania, Vertigine, Lethargia. 2. A' Tempore quo hominem invadere consuevit, scil. noctu, tempore somni, quod de Essentia prædictorum affectuum non est. 3. A' partibus affectis, nim. Ventriculo, Mesenterio, Hepate, Pancreate, Liene, Diaphragmate, &c. uno verbo Præcordiis, quæ primariò hîc affici contingit, Cerebrum verò per Consensum; in aliis Cerebrum primariò ut plurimùm. 4. A' Causis Phantasiam perturbantibus; quas, Spiritus animales à copiosis & crassis vaporibus inquinatos, posuimus, quibus ab aliis affectibus distinguitur: à Comate, Caro, Lethargo, Catoche, qui potiùs ab humore pituitoso, aut à vaporibus narcoticis; seu copiosioribus, magis adhuc in Apoplexia, oriuntur: ab Epilepsia & Vertigine, quòd illius vapores tenues, acres, venenosi & maligni, hujus verò, tenues in gyrum agitati, authores sint: à Melancholia per Essentiam & Mania, quòd illam humor melancholicus; hanc autem, vel ipsa atra bilis, vel fervidi & adusti vapores producant. 5. A' Causis Diaphragma comprimentibus, nim. pituita crassa, aut melancholia per crapulam ut plurimùm turgescente; quibus discrepare nobis videtur ab Incubo Melancholia hypochondriaca, cùm in hac, licèt ab iisdē causis producatur, materia sit copiosior & tanta, ut etiam interdiu ægrum infestare possit, secus in Incubo; deinde, quòd in Incubo vapores, tum intra venas & arterias, tum extra eas ῥοπὴν suam ad Diaphragma & Pulmones habeant, hæcque instrumenta respirationis premant; secus in Melancholia hypochondriaca: ab Hysterica passione, quæ à vaporibus, imò humoribus ab utero, à sanguine menstruo, aut semine peculiariter corrupto, infectis, per circuitus elevatis, oritur.

XI.

Huc, haud incommodum videtur, eas afferre differentias, qui-

bus Incubus modò magis, modò minùs à ſe ipſo quaſi differre videtur: petuntur autem primò ab Imaginatione depravata ponderis gravis thoraci incumbentis, prout æger ſibi videtur videre Phantaſma formoſum vel horridum, nigrum vel album, &c. vel Venereum; quæ omnia à conditionibus humorum, qui phantaſmatum horum cauſæ ſunt, dependent. 2. A' Parte affecta ſumuntur differentiæ prout nunc Ventriculus aut Meſenterium aut Lien, &c. aut Cerebrum, imprimis Diaphragma magis vel minùs affectum eſt. 3. A' Cauſa continente, humoribus ſcil. & vaporibus, petuntur differentiæ, ſecundùm eorum Speciem, Quantitatem, & Qualitatem; prout humores & vapores vel Melancholici vel Pituitoſi, copioſi vel pauci, craſſi vel tenues, crudi vel magis concocti fuerint. 4. A' Cauſis Procatarcticis, prout ab Aëre, Cibo, & Potu, &c. originem habuerit, quæ omnia facilè ex ſequentibus pateſcent.

XII.

Definitione, quantum pro inſtituti ratione ſufficit, in ſua membra reſolutâ, ad cauſarum horum ſymptomatum, ſive morborum ipſorum, nunc inquiſitionem nos accingemus: Tria verò potiſſimùm ſunt ſymptomata. 1. Imaginatio depravata. 2. Timor. 3. Motus thoracis imminutus (ſub quo vocem impeditam complectemur) & reliqui corporis motus ablatus.

XIII.

Horum Cauſam ut accuratiùs inveſtigemus 1. in ejus Eſſentiam inquiremus. 2. Magnitudinem. 2. Durationem. 4. Tempus. 5. Sedem. 6. Cauſam Efficientem.

XIV.

1. Eſſentiam Cauſæ, Imaginationem depravatam, Timorem cum Motu thoracis imminuto & reliqui corporis ablato, producentis, ſtatuimus eſſe Morbum Organicum, nim. Conformationis, & quidem in Anguſtia, in ſpecie verò Ἔμφραξιν & Θλίψιν, Obſtructionem & Compreſſionem.

XV.

2. Quoad Magnitudinem dicimus hîc nihil poſſe abſolutè ſtatui, cùm & Obſtructio & Compreſſio nunc gravior, nunc levior ſit, eam tamen, ſi reſpectu ſymptomatum, quæ producere conſuevit,

consuevit, consideremus, dicimus in hoc affectu medium obtinere locum, cùm non tanta sit quanta in Apoplexia, Caro, &c. major tamen quàm in somno naturali.

XVI.

3. Quod ad Durationem attinet, nec hîc quicquam certi determinari posse censemus, cùm alia longior, alia nonnunquam brevior esse soleat; interim tamen vix per horam posse durare putamus, cùm ægroti compressionem hanc percipientes valdè perterreantur, quo fit ut spiritibus hinc inde validis motibus, ad molestiam illam excutiendam, motis, citiùs vapores illi attenuentur & discutiantur, sicque meatibus apertis liberentur.

XVII.

4. Quoad Tempus; dicimus illud fieri noctu, tempore somni, dum calor nativus ad interiora se convertens, alimenta conficit, non tamen perfectè, hinc cùm cruda relinquantur eorum accessu humor melancholilus in Hypochondriis collectus fermentari incipit, vaporesque ibi antea restagnantes ab aliis succedentibus augentur, moventur, sursumque feruntur, qui, cùm eo tempore discuti non possint, tum quòd corpus ob poros constrictos, minùs perspirabile, tum etiam quòd calor cerebri imbecillior sit, symptomata Incubum constituentia producunt.

XVIII.

5. Sedem, sive Partem affectam ponimus Cerebrum, Thoracem & Epigastrium: In hoc, sedes præcipuè est Mesenterium & Lien obstructa, quæ fumos crassos sursum ad cerebrum transmittendo, imaginationem lædunt per Consensum, uti etiam in Melancholia hypochondriaca accidere solet, docente Gal.l.3.de Loc.affect. cap.4. In Thorace, Diaphragma compressum à crassis humoribus & vaporibus circum præcordia subsistentibus, Pulmo & Pericardium à Diaphragmate, Cor à Pericardio & Pulmone; Cor autem sic oppressum, cùm dilatari non possit, animo timor incutitur, qui augetur cùm iidem vapores in cerebrum transmissi phantasmata in eo agitant & phantasiæ offerunt; unde laborans varias comminiscitur causas, à quibus molestia illa, ob dilatationem prohibitam, oriri possit; eæ verò cùm non statim ipsi occurrant, à spectro, vel alio simili se opprimi putat: sed etiam iidem vapores per arterias cordi communicati

illud

illud ſuffocant,atq; hac ratione timorem incutiunt. In Cerebro, eſt pars ejus poſterior obſtructa, à qua nervi tum ſenſorii, tum motorii prodeunt, utpote locus aptior ad ſpirituum animalium tranſitum pro ſenſu & motu totius corporis edendo, prohibendum, ex quo poſtea Motus & Senſus vel abolitus, vel diminutus ſequitur, prout obſtructio major vel levior fuerit.

XIX.

6. Cauſa Efficiens Obſtructionis & Compreſſionis ſunt Humores & Vapores, qui nunc rationem cauſæ Continentis, nunc Antecedentis habent, cùm diverſæ partes variè affectæ in Incubo concurrant: quare ut diſtinctiùs illas proponamus, primò ſingularum partium Morborum Cauſam Continentem. 2. Cauſam Antecedentem. 3. Cauſas Procatarcticas inveſtigabimus.

XX.

Cauſa Continens obſtructionum Hypochondriorū & Compreſſionis Diaphragmatis, ſunt humores Pituitoſi aut Melancholici, copioſi & craſſi, utrique ſimul, vel ſeorſim quilibet, per crapulam & cruditatem plerunq; turgeſcentes, qui per ſe pondere ſuo Diaphragmatis motum impedire poſſunt; maximè verò vapores inde elevati, quos ex venis meſeraicis, venæ Cavæ facilè communicari poſſe conſtat; præcipuè Lieni in quem ramus inſignis, nim. Splenicus, maxima ex parte abſumitur & in eo diſperditur: à Liene autem per arterias, quæ in eo ferè quintuplo plures ſunt, quàm venæ, in totum corpus diſpergi poſſunt & per conſequens etiam in Pulmones, Diaphragma, Muſculos Thoracis & Abdominis; hinc partium harum (cùm maximè liberæ eſſe debeant, aliâſque non tam facilè in ſomno ac in vigiliis moveantur; interim verò motum eorum ſumma reſpirationis neceſſitas vehementer expoſtulet) motum magis impediri neceſſe eſt, imprimis ſi cauſa adhuc accedat inferiùs dicenda: ſed & extra venas meſeraicas ad Diaphragma aſcendere, illudque comprimendo motum ejus impedire poſſunt. Obſtructionis verò & Compreſſionis poſterioris partis cerebri Cauſa Continens, ſunt Vapores ex prędictis humoribus in caput, tum intra, tum extra vaſa, elevati, qui nervos in baſi cerebri propè ſpinalem medullam oriundos obſtruunt & com-

primunt,

primunt, ſpirituum animalium influxum in muſculos Thoracis & Diaphragmatis impediunt, ſicque ejus motus diminuti (junctis Cauſis ſuprâ enumeratis) & reliqui corporis aboliti cauſa exiſtunt; unde ægri anguſtias has ſentientes, imprimis ſi Phantaſia nonnihil ab illis afficiatur, grave aliquod onus pectori incumbere putant.

XXI.

Cauſa Antecedens Obſtructionis & Compreſſionis, ſunt humores & vapores pituitoſi aut melancholici in Hypochondriis ſubſiſtentes, qui facilè à Cauſis Procatarcticis augentur, agitantur, ut inde prædicta eveniant.

XXII.

Cauſæ Procatarcticæ ſunt 1. Aër Calidior, qui concoctionem minuendo, humoreſque cacochymicos ſubitò liquando, auget & agitat, ut inde obſtructiones in Hypochondriis oriantur; ex iſtis verò vapores in cerebrum tranſmittantur, qui ejus frigiditate condenſati in partem poſteriorem ruunt. 2. Frigidior, cujus vi materia incraſſatur in cerebro, & in ejus meatus exprimitur; poris etiam cutis univerſi corporis occluſis ac perſpiratione impedita fuligines intus detinentur & augentur. 3. Humidior, qui pituitam & cruditates cumulat. 4. Siccior, qui humores denſat, corpuſque ad melancholiam producendam diſponit. 5. Caliginoſus & Craſſus qui cacochymiam adauget, ſpirituſque impuros procreat; imò adeò quandoque reſpirationem lædit, ut non aliter hominem ſtrangulet, quàm ſi in aquam demergeretur, qualis eſt, qui nonnunquam ex carbonibus accenſis, aut parietibus calce recenti incruſtatis & ſimilibus exhalat.

XXIII.

II. Cibus & Potus. 1. Cibus durus, qui difficilè concoquitur; gravis denſus & craſſus, qui craſſum, fibroſum & terrenum ſuccum cumulat; viſcidus & lentus, qui difficulter in venas diſtribuitur. 2. Cibus nimius, cujus copiâ ventriculus ita obruitur, ut nec rectè claudatur, nec cibos rectè complectatur, ſed hiante ejus orificio, calor ſenſim exhalet, nimiæ cibi copiæ coquendæ non ſufficiat, hincque magna halituum copia ſurſum ad cerebrum feratur, qui illud replent: unde Hippocr. Aphor. 17.

Sect. 2. dicit. Ὅκου αὖ τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ, τοῦτο τὴν νοῦσον ποιέει. Ubi præter naturam copiosior cibus ingestus est, hic morbum facit: & de Insomn. Ὁκόσα δὲ ἀλλόμορφα σώματα φαίνεται ἐν τοῖσιν ὕπνοισι καὶ φοβέει τὸν ἄνθρωπον, σιτίων ἀσυνήθων σημαίνει πλησμονήν. Quæ verò corpora in somnis formam monstrosam ostendunt & hominem perterritant, ciborum minimè assuetorum repletionem indicant: his etiam consentit Avicen. l.3. fen.1. tract.5. c.5. *Et accidunt somnia terrefacientia in somno, quæ plurimùm eveniunt propter repletionem ex multa gulositate.* 3. Cibi frigidi, qui flatus materiam suggerunt; humidi, qui pituitosum, & sicci, qui melancholicum succum suppeditant. 4. Cibi, prioribus nondum coctis, nec ventriculo vacuo, ingesti. 5. Ciborum varietas & præposterus eorum usus. 6. Potus nimius, sive Vini, sive Aquæ, sive alterius alicujus liquoris. 7. Aqua, Nivalis & Glacialis in cysternis collecta, Putealis, Lacustris, quæ crassæ, crudæ & impuræ sunt, saporem & odorem gravem spirant.

XXIV.

III. Somnus & Vigiliæ immoderatæ. 1. Somnus enim nimius naturales evacuationes & excrementa retinet, crudos & pituitosos humores cumulat, calorem corporis hebetat, spiritus, præsertim animales, ob pituitæ coacervationem, torpidos reddit. 2. Somnus statim à pastu, cùm ut Guajnerius *Tract.6. cap.1. ait, cibi ad fundum ventriculi non descendant, incocti maneant, orificium ejus sinistrum molestent, crassosq; vapores ad cerebrum mittant*; & ut Wierus l.3. c.19. dicit: *Stomachus repletus comprimat diaphragma.* 3. Somnus etiam Meridianus corpus ad Incubum disponit: Morbos enim secundum Avicen. l.1. Fen.3. Doctr.2. cap.9. *generat humidos, Catarrhos, corrumpit calorem, gravat splenem, lassat nervos, efficit pigritiem*: hinc Paulus libr.1. c.97. Interrupto ante tempus concoctione, ex somno meridiano surgentes sæpè flatibus implentur, fluctuationes & ructum acidum habent. 4. In somno consideratur Decubitus, qui non parvi, in hoc affectu, est momenti. Avicen. enim libr.1. Fen.3. Doctr.2. cap.9. ait. *Resupinè dormire malum; præparat enim ad Incubum, &c. quoniam superfluitates ad posteriora declinare facit, & retinentur, & per suos canales naturales*

non

non cedunt, qui sunt ab anterioribus, sicut nares & palatum. Cui etiam Mercurial. lib. 1. cap. 22. Arculan. Exposit. in IX. libr. Alman. cap. 15. Fuchs. Instit. l. 2. Sect. 4. cap. 4. consentiunt. Sennertus tamen præter allata, aliam etiam addit causam; nim. læsionem motus musculorum, motum thoracis promoventium, ex tali decubitu: Motum illo decubitu non ita liberum esse dicit, probatq; ex eo, quòd supini dormientes faciliùs stertant, quàm illi qui in alterutrum latus decumbunt; cujus rei causa potest ea esse quam affert Avicen. libr. 1. Fen. 3. Doctr. 2. cap. 9. cùm dicit somnum, qui resupinè fit, incurrere infirmos & debiles propter illud, quod musculis eorum accidit ex debilitate & eorum membris; & quia unum latus aliud ferre non potest, immò citò resupini volvuntur, quoniam dorsum latere fortius existit: Accedit & alia ratio, quòd scil. supino decubitu sanguis in vena Cava & Aorta lumbis incumbente incalescat, qui dein calor saburram humorum in Hypochondriis stabulantem movet & agitat. 5. Vigiliæ nimiæ, quia non minùs partium solidarum, ac spiritûs substantiam exhauriunt, vires corporis labefactant; imprimis autem cerebri, quod adeò nonnunquam in vigiliis afficitur, ut, spiritibus exhaustis, caloreque nativo dissipato, mentis alienatio sequatur.

XXV.

IV. Motus nimius, cùm pravos humores, antea quasi sopitos quiescentes valdè exagitet. Quies nimia, quæ corpus excrementis replet, calorem nativum debilitat, corpus segne reddit, & distributionem ciborum impedit.

XXVI.

V. Excreta & Retenta, cùm quæ per meatus sensibiles & insensibiles excerni debebant, præter naturam retinentur; quæ verò retinenda erant, excernuntur.

XXVII.

VI. Animi affectus, imprimis Metus & Tristitia etiam Causa Procatarctica fiunt; insignes enim in corpore mutationes efficiunt; ille quidem subitas, hæc verò lentas. Metus subitò calorem suffocat, extremorum refrigerationem cum pulsu parvo & palpitatione cordis, inducit; Tristitia verò paulatim spiritus ab-

ſumit, concoctionem perturbat, univerſum corpus refrigerat, morbosque melancholicos producit. Unde Theod. Byzantinum ferunt in ea fuiſſe ſententia, quòd exiſtimârit, ſimulachra & nocturnas apparitiones ſapientibus fortibusque viris nunquam apparuiſſe, ſed pueris, mulieribus, vecordibus, mollibus atque ægrotis, qui propter imbecillitatem animæ & corporis aſſidua formidine, vanis inſomniis quatiuntur: & Hippocr. *περὶ παρθενίων* ait. *Ἔπειτα ἀπὸ τῆς τοιαύτης ὄψιος, πολλοὶ ἤδη ἀπηγχονίσθησαν· πλέονες δὲ γυναῖκες, ἢ ἄνδρες· ἀθυμοτέρη γὰρ καὶ ὀλιγωτέρη φύσις ἡ γυναικείη.* Deinde ex ejuſmodi viſione jam ſtrangulati ſunt multi; at mulieres plures quàm viri, quòd muliebris natura animi magis ſit demiſſi & puſilli.

XXVIII.

Signa Incubi, ut tandem ea perpendamus, alia ſunt Diagnoſtica, alia Prognoſtica; illa, ut ordo requirit, antequam de his agamus, examinare lubet.

XXIX.

Signa itaque Diagnoſtica Incubi, vix aliâ viâ deprehendi poſſe dicimus, quàm ex relatione ægrotorum: communiter tamen ſequentia in iis ſeſe offerunt. Fatentur ſe ſentire grave quoddam pondus, tempore ſomni ſuo pectori inſidens, quod illud adeò premat, ut neque ad reſpirandum, liberè thoracem movere poſſint, ſed acſi ſuffocentur, cum anxietate & difficultate reſpirent, & neque clamare, etſi velint, valeant, neque ſe è loco movere, ut periculum effugiant. Hæc, quæ in omnibus Ephialticis contingere ſolent, eleganter Virgilius l. 12. Æneid. loquens de Turno, & breviter his verſibus deſcribit:

Ac veluti in ſomnis oculos ubi languida preſſit
Nocte quies, ne quicquam avidos extendere curſus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires; nec vox, nec verba ſequuntur.

Hiſce in aliis accedunt alia: nonnulli enim ſæpè audire eum qui ſuper ipſos inciderit, ac Venerem exigere, imaginantur, ſed eos contractis digitis fugere: ſic alii vocem obſcuram, inarticulatam &

tam & nihil ſignificantem edunt, (quæ tamen nonniſi ab alio qui tunc propè eum vigilat, animadvertitur) qualem interdum illi edere ſolent, qui comitiali corripiuntur morbo: alii ſubinde ſpectrum ſeriò adeſſe exiſtimant: ſic alii omnia quæ in Incubo reperiuntur, alii nonnulla tantùm patiuntur ſymptomata.

XXX.

Signa Partium affectarum Diagnoſtica, & primò quidem Thoracis malè affecti ſunt I. Reſpirandi difficultas; cùm enim reſpiratio propriè actio thoracis ſit, lædi nō poteſt, quin thorax patiatur. 2. Dolor in thorace gravans & premens ob diſtenſionem membranarum partes illas inveſtientium, quo Diaphragma imprimis affectum eſſe conſtat, cùm & in Empyemate & Diaphragmatis Inflammatione reſpiratio difficilis, cum ejusmodi dolore gravante percipiatur ob ſolam ejus læſionem: in Empyemate quidem ob pus in capacitate thoracis collectum; in Inflammatione autem Diaphragmatis, ob revulſionem Hypochondriorum versùs ſuperiora, mediante membranâ à Peritonæo mutuatâ, partem Diaphragmatis inferiorem tegente & Hypochondria circumcingente. II. Cerebrum malè affectum patefaciunt, Deliria, Senſuum hebetudo, ſomnus profundior, Motus abolitus & diminutus: per Conſenſum verò Cerebrum laborare, indicant primò quòd Hypochondria priùs morbo infecta appareant; deinde quòd ad Hypochondriorum affectuum incrementum, cerebrum frequentiùs & graviùs laboret, ad eorum verò remiſſionem cerebri affectus rariùs revertatur, remiſſiorque evadat; denique quòd, quæ Hypochondriis adhibita juvant, juvent & Cerebrum. III. Latitantes in partibus imi ventris obſtructiones oſtendunt Excrementa alvi liquidiora, chyloſa, interdum etiam ſanguinolenta: Vrina alba, tenuis, aquoſa & veluti tranſcolata; partes enim craſſiores ob meatus anguſtiores, aut obſtructos tranſire non poſſunt, ſed ſola pars tenuior præterlabitur; nonnunquam, ſi calor adjunctus ſit, citrina urina excernitur: Reſpiratio adeſt difficilis, præcipuè ſi æger motu concitatiori incedat, montes vel ſcalas aſcendat, quia partes illæ propter obſtructiones graviores factæ, Diaphragma deorſum trahunt, ſicque liberum ejus motum impediunt: Faciei color pallidus; Macies & Segnities totius corporis; Pulſus inæqualis;

Dolor gravans in dictis partibus, non dissimilis illi, quem sentiunt qui plurimis sese ingurgitârunt cibis: quotiescunque enim Hypochondria pravis implentur humoribus, statim ab assumpto cibo etiam levissimo intumescunt & comprimuntur, simulque dolorem gravativum inferunt.

XXXI.

Mesenterium affectum monstrant, dolor circa regionem umbilicalem obtusus, nonnunquam tamen acutus (cùm nim. flatus ibi colliguntur) ad dorsum usque aliquando sese extendens, ob mesenterii cum dicta parte connexionem; tensio, renitentia & gravitatis sensus in medio ventris; rugitus & murmura in eodem loco. Hepar autem affectum ostendunt dolor in dextro Hypochondrio obscurus & gravans, ab ingestis cibis, imprimis, si postea vehemens aliquod exercitium subsequatur, ingravescens, tensio & renitentia in illa parte; respiratio difficilior, propter majorem ejus cum Diaphragmate viciniam, pondusq; visceris, quàm reliquarum partium, gravius. Lienem affectum manifestant, tensio, renitentia & gravitas in sinistro Hypochondrio; dolor à cursu, motu concitatiore ingravescens. Cor verò affectum ostendunt Pulsus parvus, languidus, tardus, rarus, inæqualis & intercurrens, Palpitatio cordis, Timor, Tristitia & anxietas.

XXXII.

Obstructionis Hypochondriorũ Humores Causas Efficientes existere monstrant; Dolor gravans, fixus & obtusus; Obstructiones diuturniores & contumaces: si autem vapores vel flatus admisceantur, tunc sicut dolor acutior fit, ita etiam minùs fixus, oppilationes breviores & solutu faciles sunt.

XXXIII.

Obstructionis autem Cerebri Vapores causas esse ostendunt obstructiones curatu faciles, breves, post assumptos cibos vaporosos, frequentiores, dolor in cerebro tensivus, aurium tinnitus, imaginatio depravata.

XXXIV.

Quoad Humorum & Vaporum Speciem: Humores & Vapores Pituitosos vel Melancholicos obstructionum illarum causas esse, ex fontibus, è quibus Humorum Signa sumuntur innotescet: Probabile enim est humorem, qui præ aliis in corpore aliquo re-

quo re-

quo redundat, causam Morbi esse. Itaque Pituitam in corpore redundantem significant Cutis ad tactum frigida, mollis, lævis & alba, vasorum angustia, nullæ venæ in oculis apparentes, corporis habitus mollis & obesus, ingenium tardum & obtusum, maxima ad somnum propensio, insomnia frigoris, aquarum &c. pulsus parvus, tardus & mollis, appetitus dejectus, sitis, aut nulla, aut perexigua, frequens morborum frigidorum & humidorum occursus, frequens quoque crassi & albicantis humoris per os & nares excretio, fæces albicantes & mucosæ, urina nunc alba, tenuis, nunc verò turbida, crassa cum copioso sedimento. Sic Melancholiam abundare ostendunt Cutis ad tactum frigida, sicca, dura & aspera, color faciei fuscus, venæ angustæ, habitus gracilis, macilentus, vigiliæ maximæ, somni turbulenti, insomnia rerum nigrarum, horrendarum &c. pulsus tardus, durus, voracitas nimia, sitis exigua, ructus acidi, morborum melancholicorum frequens incursus, frequens quoque humoris melancholici vomitus, spuitio assidua, &c.

XXXV.

Quoad Humorum & Vaporum Vitium secundum Quantitatem & Qualitatem: humores & vapores copiosos & crassos monstrant Symptomatum vehementia & perseverantia.

XXXVI.

Quoad Causas Procatarcticas: utrum vel ab aëris qualitate aliqua excedente, vel à cibi quantitate nimia originem duxerit, id omne ex relatione ægri manifestum fiet.

XXXVII.

A' Signis Diagnosticis, ad Prognostica nunc progredimur: & primò quidem in genere dicimus cum Rhaze lib. 9. Avicen. libr. 3. Fen. 1. Tract. 5. cap. 5. Ætio libr. 6. cap. 22. Ægineta lib. 3. cap. 15. Bertrutio Tract. 1. Sect. 1. cap. 10. hoc malum non esse negligendum, cùm antecessor sit unius trium, quæ frequenter oriuntur, ægritudinum, aut Apoplexiæ, aut Epilepsiæ aut Maniæ.

XXXVIII.

In Specie autem considerabimus Vehementiam Morbi, Causæ morbificæ & Symptomatum, tum ratione sui, tum ratione dignitatis partis affectæ.

XXXIX. Mor-

XXXIX.

Morbus, nim. Obſtructio & Compreſſio, quò majores, diuturniores & frequentiores, eò majus periculum præſagiunt. ſic Cauſa, ſcil. Vapores & Humores, ſi ſint copioſi & craſſi : Symptomata etiam vehementia (quoniam reſpiratio ferè tollitur, imaginatio depravatur, motusque aufertur) morbum gravem denotant.

XL.

Ratione Dignitatis partis affectæ, morbus periculoſus eſt, cùm Morbi, Cauſa & Symptomata reſpiciant partes principes, vel his inſervientes, nim. Hepar, Lienem, Meſenterium, Diaphragma, Pulmones, Cor, Cerebrum, &c.

XLI.

Cæterùm augetur periculum pro varietate Differentiarum, potiſſimùm à Cauſa Continente Obſtructionum & Compreſſionis deſumtarum : quare cùm Cauſa Continens, ut ſupra dictum, ſint humores & vapores, eos quoad Speciem, Vitium in Quantitate & Qualitate, ut & Cauſas earum Procatarcticas perpendemus.

XLII.

Quoad ſpeciem : humores vel vapores ſi fuerint Melancholici, morbus magis erit periculoſus, propter humoris contumaciam, & promptam ejus degenerationem in naturam pejoris qualitatis. Quoad Vitium in Quantitate & Qualitate, periculoſior eſt Incubus, ſi humores vel vapores ſint copioſiores & craſſiores, quoniam Incubum frequentem, diuturniorem inducunt; hunc autem ſupradicta graviora mala ſequi conſueverunt.

XLIII.

Quoad Cauſas Procatarcticas, cùm eæ ſint ſex res non naturales, ideò prout nonnulla conſtitutionem partium illarum magis vel minùs immutare valent, ita morbum magis vel minùs periculoſum præſagiunt : ſic ſi immoderata & nimia cibi copia, per longum tempus præceſſerit, morbus inde proveniens frequẽtior, diuturnior & per conſequens periculoſior erit, quàm qui à moderatiore, per breve tempus, cibi aſſumptione orietur.

XLIV. Co-

XLIV.

Cognitâ Incubi Naturâ & Causâ, perpensoque ejus Eventu, nunc reliquum est, ut ad ejus Curationem nos accingamus: itaque ut ea feliciùs succedat, examinare placet Indicationes quas petemus 1. à Causa Continente. 2. à Causa Antecedente. 3. à Viribus. Morbus enim, cùm consistat in Obstructione & Compressione, sui ablationem quidem significat, verùm, cùm illud fieri non possit nisi causæ tollantur, ideò maximè Indicationibus à Causis & Viribus petitis insistemus.

XLV.

Humores itaque & Vapores Pituitosi aut Melancholici, quatenus sunt Causa Continens Obstructionis & Compressionis, sui ablationem indicant; humores quidem per sensibilem evacuationem; vapores verò per discussionem ac resolutionem.

XLVI.

Humores verò & Vapores, quatenus Causam Antecedentem constituunt eodem modo sui ablationem indicant: & quidem quatenus copiosi, sui diminutionem; quatenus frigidi, crudi, crassi, calefactionem, concoctionem & attenuationem; quatenus ad partes moventur superiores, revulsionem; quatenus in iis jam sedem fixerunt, evacuationem & derivationem.

XLVII.

Vires indicant sui conservationem: ideoque temperies Cerebri, Cordis, Hepatis, Lienis, Mesenterii, &c. conservanda, dictæque partes roborandæ erunt.

XLVIII.

Indicationibus autem suprà enarratis satis fit Chirurgiâ, Pharmaciâ, & Diæta, quæ materia sunt præsidiorum ab Indicantibus indicatorum.

XLIX.

Illa autem materia præsidiorum adhibetur vel in Paroxismo, vel extra Paroxismum.

L.

In Paroxismo, quoad Chirurgiam probantur ligaturæ dolorificæ, digitorum complicationes, vellicationes, frictiones à superioribus versus inferiora administratæ, pilorum evulsiones, ut sensus tactus irritetur, æger excitetur, vapores revellantur, discu-

tiantur & diſſipentur : quapropter non inconveniens erit, ut huic malo obnoxii, noctu fidum ſemper hominem adjunctum habeant, qui gementem ægrum mox expergefaciat, ne ſuffocationis periculum diutiùs protrahatur.

LI.

Quoad Pharmaciam, Pulvis ſequens ad ſternutationem excitandam probatur

℞. Rad. Ireos Florent. Flor. Stœchados Arab. p.j.
Pœoniæ mar. an. ℈ß Caſtorei ℈ j.
Fiat pulvis tenuiſſimus mediante calamo naribus inſufflandus.

vel Acetum cum Caſtoreo permixtum & naribus admotum.

LII.

Inter remedia Chirurgica extra Paroxiſmum Phlebotomia utilis erit, ſi ſanguinis copia vires opprimat, ſicq; omnes coctiones impediat; aut ſi humores noxii abundanti ſanguini admixti fuerint; aut ſi artificialis aliqua ſanguinis evacuatio diu intermiſſa fuerit; ea autem in alterutro brachio adminiſtrari poterit prout Hepar vel Lien affecta fuerint, præmiſſo Clyſtere ſequenti

℞. Rad. Althææ
Pœoniæ mar. Brancæ Urſin. an. Mj.
Acori veri. an. ℥ ß. Sem. Aniſi.
Fœniculi an. ʒiß.
Fol. Malvæ Flor. Camomil.
Mercurial. Betonic.
Violariæ Hordei integri an. pj.
Coquantur in aq. com. ad ℔ j. in colatura diſſolve
Mellis roſati ℥ij.
Fiat Clyſter injiciendus die ante veneſectionem longè à paſtu, ſtomacho vacuo.

LIII.

Si verò à natura conſueta aliqua evacuatio ſanguinis ſuppreſſa fuerit, quæ mali cauſa exiſtat, tunc vel ipſam ad conſuetum locum revocare poteris, vel à parte ei proxima, per quam ſanguis fluere aſſueverat, liberaliùs ſanguinem mittes: ut ſi Menſes, aut Hæmorrhoides ſuppreſſa ſint, ex talo; vel ſi ſanguis ſuppreſſus jam ad ſuperiora regurgitârit, primò venam cubiti alterutrius,

trius, dein venam malleoli ſecabis: quòd ſi vires contra indicent, loco venæſectionis uſurpare poteris Hirudines, quæ venis brachiorum & crurum applicandæ erunt; aut Cucurbitulas cum ſcarificatione cruribus, brachiis & dorſo applicatas.

LIV.

Si nulla dictarum Cauſarum venæſectionem efflagitet, ſola præparatione & purgatione humorum rem perficies.

LV.

Pituitam autē præparat Apozema in hunc modum paratum.

℞. Rad. Aſparagi
Petroſelini
Pœoniæ mar. an. ℥ß.
Fol. Betonicæ
Pulegii an. Miß.
Sem. Aniſi
Fœniculi
Rubiæ an. ʒ j.
Flor. Anthos.
Centaurii min.
Stœchados an. p j.

Fiat Decoctio in Hydromelite tenui ad ℔ j. in colatura dissolve Syr. Abſynth.
Menthæ an. ℥iß.

Fiat Apozema aromatizatum cum Cinnam. ʒiij. pro tribus doſibus matutinis.

Ad Melancholiam præparandam

℞. Rad. Filicis
Bugloſſæ an. ℥ß.
Cortic. rad. Cappar.
mediani Fraxin.
Tamariſc. an. ʒiij.
Fol. Ceterach.
Meliſſæ
Borragin. an. M j.
Sem. Cuſcutæ
Apii. an. ʒiß.
Flor. Borragin.
Violarum
Nymph. an. piß.

Inciſa & contuſa ponantur in ſacculo lineo, cui ſuperinfunde vini albi Menſ. 1. ſtent in infuſo per noctem in loco tepido, colaturæ capiat ſingulis diebus manè hauſtum.

LVI.

Corpore ita præparato, Pituitam Pilulæ ſequentes è corpore evacuabunt.

℞. Extract. Pilular. Cochiar. min. ℈ j.
Malaxentur cum aq. Betonicæ
Fiant Pilulæ x 1. quas capiat ſumō mane, cum cuſtodia, levi cœna præcedente.

Ad Melancholiam educendam

℞. Polypodii querc. ℥iij. Flor. Borragin.
Fol. Capilli Vener. Epithymi an. p j.
Melissæ an. M ß. Liquirit. raſ. & parum contuſæ ℥j.

Coquantur in ſero lactis s. q. In Decocto adhuc calente infunde per noctem.

Fol. Sennæ mundat ℥ß. Sem. Aniſi
Cremoris Tartar. ℨj. Fœniculi an. ℨß.

Manè in colat ℥iij. diſſolve Syr. de Fumar. ℥j.

Fiat potio.

LVII.

Utiliſſimum erit ægro Vomitorium propinare loco prædictorum, ſi humores ad ventriculum tendere videantur, ægerque ſit nauſeabundus & ad vomitum facilis. Vomitorium autem in ſequentem modum parare poteris.

℞. Rad. Aſari ℨj. Atriplic. ā ℨj ß.
Sem. Raphan. Flor. Geniſtæ p j.

Coquantur in aq. Hordei ad ℥ iiij. Colaturæ adde Oxymelit. ſimpl. ℥j.

Fiat Vomitorium quòd manè ſumat tepidè.

LVIII.

Præmiſſis hiſce univerſalibus, nunc ad ea accedemus, quæ materiam morbificam è Capite expurgare valent: illa autem formulæ ſequentes præſtabunt.

℞. Rad. Pyreth. Piperis albi
Zinzib. ā ℨj. Cubebar. ā ℨ ß.

Excipiantur Ceræ s. q.

Fiant Paſtilli manſiles pondere ℨj. quorum unum maſticet & volutet ſæpiùs in ore, manè jejuno ſtomacho, expuendo frequenter id quod diſſolvitur; os poſtea abluat vino vel aqua tepida.

Vel ℞. Rad. Pyreth. ℥ ß.
Fol. Major. Staphisagr. ā ℨj.
Meliſſæ. Paſſul. mundat. (tuſæ ā ℥ß.
Sum. Beton. Liquiritiæ raſ. & parùm con-
Origan. ā M j. Ficus conciſ. n. iij.
Sem. Aniſi. Piperis albi ℨj.

Coquantur in aq. com. ad ℔ i ß. In colatura diſſolve Oxymel. Squill. ℥ iij.

Fiat

Fiat Gargarisma, quo colluat os sæpè per horam ante prandium & cœnam.

Vel ℞. Rad. Pœon. mar.
Ireos florent. ā ʒ ß.
Fol. Majoran.
Nicotian ā M ß.
Flor. Anthos. p ij.
Piperis albi ℈ ß.
Castorei gr. iij.

Fiat Pulvis tenuissimus, cujus matutino tempore parum naribus attrahatur ut sternutationem excitet.

LIX.

Interim dum hæc materia cerebro impacta educitur, non incommodum erit ascensum vaporum, qui à cibis ingestis oriri consuevit, idoneis remediis prohibere, ne materia morbifica augeatur, aut alia de novo producatur: itaque in eum finem.

℞. Sem. Anisi
Pœon. mar. ā ʒ ij.
Coriandri præp. ℥ j.
Cinnam.
Nuc. moschat. ā ʒ j.
Pleresarchontic. ʒ ij.
Sacchari ros. ad pondus omniũ.

Fiat Pulvis, de quo capiat Cochleare j. à pastu.

Vel Carnis Cydonior. saccharo condit: ℥ j. à paste sumere potest.

LX.

Hisce omnibus peractis, ea tandem adhibebimus, quæ reliquias absumunt, Cerebrumque corroborant; ea autem sequentia esse poterunt.

℞. Rad. Ireos florent.
Pœoniæ mar. ā ℥ ß.
Fol. Melissæ
Origani
Majoran. ā M ß.
Sem. Anisi ʒ j.
Flor. Lavend.
Anthos ā p j.
Nuc. moschat.
Caryophyllor. ā ℈ ij.
Storac. calam.
Thuris ā ʒ ß.

Fiat Pulvis, qui excipiatur Cotone moscato & cum panno serico interpuncto

Fiat Cucupha in Capite gestanda.

Vel ℞. Rad. Ireos ℥ iiij.
Aristol. rot. ℥ ß.
Flor. Stœchad.
Spic. nardi ā p iiij.
Cariophyllor.
Cinnam.
Succini ā ʒ j.
Ambræ gryſ. ℈ ij
Amyli ℥ iij.

Fiat Pulvis tenuissimus, in lecti introitu capillis inspergendus, & manè pectine decutiendus.

LXI.

Sic varia applicari possunt remedia Lieni, Ventriculo, Hepati, Cordi, &c. ita ad reliquias è Liene discutiendas Fotus sequens utilis erit

℞. Rad. Bryon. Althææ ā ℥j.
Fol. Beton. Chamædr. ā Mij.
Sem. Fraxini Rubiæ an. ʒiß.
Flor. Camomil. Meliloti ā pj.

Coquantur in aq. com. s. q. ad ℔ß. colaturæ adde ad penetrationem Aceti fortiss. ℥ij.

Fiat Fotus quo foveatur Lien linteo imbuto & leviter expresso, manè & serò, calidè per dimidiam horam, aliud vicissim, ubi hoc refrixerit, applicandum.

Vel regio Lienis jnungi poterit Ol. Tamarisci, de Capparibus, Amygdal. amar. &c. eidem admoveri poterit Emplastr. Diachylum cum gum. de Meliloto &c. Cataplasmata ex Mucilag. rad. Alth. Lilior. albor. cum Farina Lini, Fœnugr. &c. composita. Ita etiam Hepati, Ventriculo, Cordi &c. si necessarium esse videatur, sua remedia quisque applicare poterit, quæ omnia hîc afferre Disputationis ratio non patitur.

LXII.

Affectus autem quicunque à frigidis, crassis, viscidis & crudis humoribus, contumacibusque Lienis, Mensenterii &c. obstructionibus ortum ducunt, cùm post universales & particulares evacuationes, vel non planè cessent, vel viscera imbecilla subinde humores prioribus similes producere soleant; ideò etiam remedia usualia præscribenda erunt, quibus humores istos noxios per intervalla educamus, partiumque prædictis remediis acquisitam integritatem diutiùs conservemus. Ita Pituita prædominante Pilulæ Usuales in sequentem modum parari possunt.

℞. Aloës Succotr: ʒiij.
Agarici recent. trochisc.
Turbith. gummosi.
Fol. Sennæ mundat. ā ʒj.
Diagryd. ℈iiij.
Trochisc. Alhand. ℈ij.
Zingib.
Cinnam. ā ℈ß.
Gummi Ammoniaci in aceto soluti q. s.

Fiat

Fiat Maſſa Pilul. cujus Doſis ſit ℈j. ex quo formentur Pilulæ XI. quas ſumat ſemel in hebdomade tribus circiter horis ante prandium.

Poſtridie Pilularum de ſequenti Opiata bis in ſeptimana capere poterit.

℞. Conſerv. Rad. Enulæ camp.	Confect. Alkerm.
Flor. Pœoniæ	Theriac. vet. ā ʒ j.
Anthos	Spec. Diambræ.
Meliſæ ā ℥ ß.	Diapleres archontic. ā ʒ ß.
Condit. Nucis moſcat.	Cum Syr. de Condit.
Cortic. Citri ā ʒ iij.	Citri ſ. q.

Fiat Opiata, de qua capiat magnitudinem Caſtaneæ manè duabus aut tribus horis ante prandiū, ſuperbibendo vini parum.

LXIII.

Multa etiam ab Authoribus contra dictum affectum tanquam Specifica commendantur. Nigrum Pœoniæ maris fructum mirificè contra Incubum valere ſcribunt, ſi gr. XV. trita cum aqua aliqua idonea per plures dies exhibeantur. Sic Pellem Lupinam etiam pro tegumento capitis, Aniſum, Aloës ℈j. in formam pilularum exhibitum, Chryſolithum, Margaritas, Corallia, Viſcum quercinum, Succinum, Lapidem Lazuli de collo ſuſpenſum, Oleum deſtillatum Rutæ, Meliſſæ, Roriſmarini, Electuar. Pleresarchonticum cum Confect. Alkermes, ſeu Diambra permixtum ad propulſandum hujuſmodi affectum plurimùm conducere ſcribunt, ſi per aliquot dies eorum uſus fuerit continuatus.

LXIV.

Cùm ægri huic affectui obnoxii ob viſcerum imbecillitatem facilè humores vitioſos cumulent, imprimis accurata Diæta in ſex rebus non naturalibus præſcribenda eſt.

LXV.

Aër itaque eligatur moderatè calidus & ſiccus; ſi talis non ſit, ſed frigidor & humidior, alterabitur herbis calidis & odoratis pavimento cubiculi ſtratis, ut Caryophyllis, Lavendulâ, Majoranâ, Origano, Pulegio, Roremarino &c. vel eædem quoque in ignem conjici poſſunt: ignis etiam accendatur ligno Juniperino, qui ſit luculentus, aëremque cubiculi ſufficienter exſiccet: aër quoque ſit purus, tetris vaporibus minimè inquinatus; vitet igitur aërem

tur aërem

tur aërem austrinum, aquilonarem, nocturnum, fumo repletum; caveat sibi quoque à radiis Lunæ, Solis, qui plurimùm nocere solent convalescentibus.

LXVI.

Cibus sit boni succi & facilis concoctionis, paucorum excrementorum, suavis odoris & saporis, calidus, attenuans, incidens, flatus discutiens: in hunc itaque finem vescatur æger pane triticeo optimè fermentato cum semine Anisi confecto; Sinapi condimenti loco, si quis eo delectetur. Condit. Cydonior. Cortic. Citri, Arantii, à mensa; Carne Vitulina, Vervecina, Hœdina, Caponum. Perdicum. Avium montanarum omnis generis; Piscium, carnem solidam & friabilem, habentium, in rivisque rapidè fluentibus viventium (quales sunt Salmones, Troctæ, Funduli, Lucii.) usus concedi potest, si in vino cum aceto, butyro, Caryophyllis, Cinnam: Zingib. Maç. Nuce moschata coquantur: hisce alimentis addantur, si Pituita mali origo fuerit, Majorana, Lavendula, Serpill. &c. ut & aromata; si verò Melancholia causa fuerit, tunc cibis admisce Bugloss. Borraginem, Cappar. Cortic. Citri. Victus ratio tenuis est imperanda: nam juxta Hippocr. de Insomniis *ξυμφέρει τοῖς ἐν τοιούτοισιν ἀλωμένοισι, σιτίοισιν ὀλίγοισι, κούφοισί τε καὶ μαλακοῖσι χρέεσθαι. καὶ ἐμέτοισι προσάγειν ἡσυχῇ, ἐπὶ ἡμέρας πέντε.* Non exhibeatur cibus priori nondum concocto. Potus sit vinum album, vel vini loco potus parari poterit ex Hordeo, Liquiritia, Passulis, Sem. Anisi, Fœniculi Cinnamomo. &c. Non multùm quoque ei bibendum. Seriæ cogitationes, assidua & importuna literarum studia à cibo plurimùm nocent.

LXVII.

Non mox à cibo assumpto dormiendum, sed tres circiter horæ interponantur; quo tempore levis deambulatio utilissima erit: Decubitus supinus ab omnibus damnatur, & occasio ad Incubum producendum creditur; In alterutrum latus si fiat, tutior erit; Somnus longior etiam noxius, satius est in vigilia immodica peccare, quàm in somno superfluo: Caput multis pannis minimè obvolvendum.

LXVIII.

Exercitatio corporis singulis diebus ante pastum conducit; à pastu verò satius est per aliquot horas quiescere, aut levibus saltem deambulationibus sese exercere.

LXIX.

Excrementa alvi quotidiè assumptis respondeant, cùm præterquam quòd fæces alvi educantur, paulatim etiam à capite fiat revulsio. A somno expurgatio aurium, collutio oris, emunctio narium, ablutio manuum; sæpiùs pectere caput, illudque linteo aspero confricare conferunt.

LXX.

Animi affectus, præsertim Tristitia & Metus omnis fugienda, cùm concoctiones omnes intertùrbent.

F I N I S.

quoddam per insensiles ductus in abstrusas quascunque latebras se insinuent, ossa pervadant, & intimas medullas magna cum molestia affligant; quidni & vapores flatibus subtiliores per porositates corporis ad ventriculum pervenire poterunt? Prærogativâ tamen deberi ductibus manifestis, non impugno.

CAPUT IV

causæ immediatæ διαλύπωσιν *exhibet.*

Αμήχανον scribit *Trallianus l. 5. c. 1. de tussi* ἀγνοοῦντα τὸ αἴτιον ἢ καὶ τὸ πάθος ἐκκόψαι δυνηθῆναι τὴν ἐνοχλοῦσαν διάθεσιν, i. e. impossibile est, ignorantem causam & affectum, posse eradicare turbantem dispositionem. Quocirca ad causarum enodationẽ devolvor. *Immediatam* autem constituo διάθεσιν φαύλην τῆς ἐν τῇ κοιλίᾳ ζύμης, seu, succum fermentitium ventriculi p. n. corruptum & perversum, stomachum ad appetendum ejusmodi aliena incitans. Quæ vitiosa hujus succi dispositio variis causis mediatis suas debet natales. Has antequam subnectam, præmittenda est quæstio; *utrum in hoc symptomate appetitus feratur ad causæ producenti contraria, an verò analoga*? Pro priore opinione militantes, habent patronum principem *Aben Tsinam l. 3. f. 13. tr. 2. c.* 10. Posteriorem, ceu vero magis conformem *Trallianus l. 2. probl. 33. Actuarius M. M. l. 1. c.* 18. *Rondeletius M. M. l. 3. c.* 14. *Mercatus de morb. int. cur. l. 3. c. 3. Langius l. 2. epist.* 12. & cum iis non pauci amplectuntur, sequentibus potissimùm innixi argumentis. 1. Avicennæ assertum explodunt, censentque, si hæc ejus opinio veritati congrueret, fore, ut neutri convalescentiæ, vel aliàs cacochymici cibos potiùs εὐχύμους quàm κακοχύμους expeterent, cùm tamen non raro aliud usus ostendat. 2. *Dein* cum contraria contrariis curentur, similia similibus conserventur *procerum medicinæ elogio*, eventurum, ut symptoma hoc continuato contrariorum usu funditùs eradicetur, cùm tamen indies in pejus ruat, & incrementa sumat. *Tertium* ab ipsis picantibus desumptum est: in quibus si adustio humorum rerum potiatur, acria; si melancholiæ, aut pituitæ acidæ, primæ debeantur partes, acida appeti videmus. *Quartò* denique rationem ipsam hoc

 dicti

dictitare aſſerunt. Cùm enim ad appetitum ſimul phantaſia concurrat; hæc autem à prædominio humoris abundantis proficiſcatur, fieri poſſe, ut, dum longâ morâ in appetentiæ ſede ſtabulatur, ſui imaginem phantaſiæ offerat. Quâ hoc pacto immutatâ, ſimilium appetitus producitur; & quanquam ratio aliud imperat, hæc tamen ab edomatrice imaginatione oppreſſa ſuccumbit.

Alii ita diſtinguunt, ut exiſtiment, in principio, dum affectus adhuc eſt in *χέσει, in fieri*, contrariorum cupidinem vigere; ubi autem humor peccans ob diuturnam moram quaſi familiaris redditus ſit, ſimilia expeti.

Hiſce contrariam fovet opinionem *Fernelius*, dum in principio vitioſo ventriculo inhærenti ſucco ſimilia expoſci; poſtquam verò ingens, & morboſum jam omninò vitium eſt, contrariorum appetitum urgere, ſtatuit.

Tot clariſſimis Viris diſſentientibus, cuinam me adjungam opinioni, cùm cuivis ſua non deſint argumenta, vix, at ne vix quidem, auſim profiteri. Cùm autem ſatius ſit, aliquam fovere ſententiam, quàm dubium hinc inde divagari, uſquedum, donec meliora edoctus, ſto à partibus Cl. Sennerti, cenſentis plauſibiliorem eſſe eorum mentem, qui picantes ſimilium potiùs, quàm contrariorum appetitu teneri arbitrantur. Interim tamen, cùm vitioſa hæc ſtomachi diſpoſitio raró (ſi unquam) per ſolas manifeſtas qualitates explicari poteſt, ad occultas confugere cogimur. Per manifeſtas enim miri hujus ſymptomatis varietatem, quâ alii carbones, calcem, picem, cretam, inſecta, & neſcio quæ non appetunt, qui ſemper exactè & ſufficienter explicuerit,

erit mihi magnus Apollo.

CAPVT V

cauſas mediatas proximiores exponit.

CAuſarum mediatarum aliæ cùm ſint proximiores, aliæ remotiores, illæ his ut præmittantur neceſſe eſt. Complent harum numerum *humores* & *vapores*. ILLI quidem arguuntur, quatenus ventriculi tunicis ſe inſinuando ſuccum fermentalem coinqui-

coinquinant, & sui partem ad orificium sinistrum demandando, illud ad absurdarum ejusmodi rerum indigentiam, instigant. Tales vitiosi succi ex sanguine retento corruptoque potissimùm generantur; interea tamen biliosi, melancholici, pituitosi ac serosi non abeunt immunes.

Calidis humoribus vitiosis ortum debuit pica puellæ, cujus meminit *Amat. Lusit. cent. 3. obs. 86.* ibidem asserens: quòd *frigidi* plerumque hoc malum producendi vi polleant.

Melancholicis principatum hîc tribuent, qui appetitum naturalem à melancholia è liene in ventriculum infusâ provenire autumant. Verùm talem acidum succum in liene nec generari, nec ad ventriculum per vas breve demandari, ostendit præter αὐτοψίαν *Mœb. fund. Phys. c. 16.* Nihilo tamen minus, melancholicum humorem corruptum, mores varios, variamque naturam induere posse notum est, quàm quod notissimum. Quapropter cum in pueris & fœminis præcipuè hîc affectus vigeat, & præterea ægri rebus plerumque frigidis terreis, austeris, acerbis, acidisvé oblectentur, parùm abest, quin pituitosis & melancholicis succis primas deferam. Quia tamen nonnunquam calida, atque siccantia, uti sunt: aromata, salsa & similia, desiderantur, consimiles pariter humores calidi & adusti in jus rapiendi erunt.

Non hîc prætereundum est, quod anteced. cap. monuimus, rarissimè hos humores pro investiganda causa absolutè sufficere; sæpiùs solùm analogicè adduci. Nam cùm variè invicem permisceri, immutari, & alterari possint, inde & ob corruptionis ac vitiositatis gradum varium causæ expresse semper vix determinabuntur; sed ad ἀῤῥήτων humorum qualitatem confugiendum est.

Generantur hi humores vel in ipso ventriculo, cui prava victûs ratio, de qua in causis non-naturalibus plura proponentur, ansam dare potest; vel, quod plerumque contingit, ab aliis partibus, & præsertim utero per venas & arterias hypogastricas ac cœliacas citante *Primeros. de morb. mul. l. 4. c. 13.* eò transmittuntur. De venis res manifesta est; an autem per arterias aliquid ex utero ad ventriculum remeet, videtur contrariari doctrinæ circuitûs sanguinis. *vid. Schlegel. de M. S. ad Riol. c. 9.* A cerebro

 non-

nonnunquam ejus conditionis materiam in ventriculum destillare, *Gal. l. 6. d. san. tuend. c. 9.* prodidit.

Acori Helmontiano si habenæ laxentur, & ob variorum impurorum succorum admistionem exorbitet, ventriculo vitiosam hanc dispositionem imprimi posse, Helmontiani defendent.

Succum pancreaticum Sylvianum massam sanguineam contaminantem, in ventriculum immissum, ejus *τόνον* invertere, & ad similium vitiosorum ciborum appetitum incitare posse, etiam quadantenus concedi potest.

VAPORES proximiorum causarum alteram constituentes varii sunt, præprimis ex antedictis ventriculi tunicis insinuatis humoribus ad ejus orificium superius ablegati. Hi pravâ & peculiari aliquâ qualitate præditi sint oportet, prout & de humoribus antea annotatum est.

CAPUT VI

ad causas mediatas remotiores, & quidem primò naturales transgreditur.

SEquuntur jam causæ mediatæ remotiores triplices: *naturales, non-naturales, & p. naturales* ordine pertractandæ.

NATURALES quoad, earum non postrema est TEMPERAMENTUM, *melancholicum* præcipuè. Tali enim præditi, facillimè obstructionibus offenduntur, aut fluxûs hœmorrhoidalis consueti suppressionem patiuntur, unde nullo negotio acidi, acerbi, austerique ejusmodi succi in ventriculi tunicis, similium appetentiæ causam ministrantes, coacervabuntur. Hinc hypochondriacos & alios vitam amplexantes sedentariam, symptomate interdum hocce detineri, videmus. Secundariò & *pituitosum, sanguineum* aut *biliosum* culpandum venit.

SEXUM utrumque affectui esse huic obnoxium historiæ passim ab artis nostræ primatibus annotatæ cum usu quotidiano eunt testatum. De viro nobili calcis vivæ desiderio presso, illamque tandem pugni magnitudine sine noxa devorante, historia extat apud *elegantissimum Galliæ & Medicinæ decus Fernelium*

l. 6. path.

l. 6. path. c. 3. Æditüum arenam per multos annos appetentem novisse *Oethæum* citat *Schenckius*. Filius Hioseppi capillos & parietibus inunctam cretam ingerere solitus est, testante *Am. Lusit. cent. 3. cur. 91.* Ad Sennertum quondam literæ à *D. Nestero* Medico Rochlizensi transmissæ sunt, in quibus relatum est de servo viri nobilis Georgii Wilh. à Bergsdorff, &c. quæcunque ad ingurgitandum oblata vilissimâ mercede inglutiente, usque adeò, ut quondam duobus vivis muribus, ventriculum ad semihorium creberrimis morsibus lancinantibus, non pepercerit. Et quod summo mirandum est opere, sumptis ossibus & metallis nil excrevisse, sed, ceu struthiocamelus, durissima quævis concoxisse dicitur. In *sequiore* tamen *sexu* frequentiùs, & quidem cumprimis graviditatis tempore ob excrementitiorum circa præcordia & uterum collectorum humorum copiam contingit. Quinque picantium muliercularum exempla extant apud *Lang. l. cit.* quorum tria memoratu maximè digna sequuntur: Prima carne mariti dilecti exsatiari desiderans, eum, horrendum dictu! vitali aurâ privatum partim comedit, partim sale consperſum in futurum usum reservavit: Altera è calcibus sacerdotis nudis balneo pedibus prodeuntis mordicus dentibus frustum evulsit, nil illius clamorem expavescens: Tertia duos ex humero pistoris denudato bolos avidissimè dentibus elacerabat: tertium verò insultum pistore renuente, tergeminos, duos quidem vivos, unum demortuum est enixa. Hisce non absimilem picam miram invenies *apud Salmuth. cent. 1. obs. 41.* Quinquagenaria quædam teste *Nicolo serm. 5. tr. 4. c. 36.* tartari quantitatem dictu fidem superantem comedebat. *Sennerto* quandam, cætera bene valentem, arenam, lapidesque molares contritos nonnunquam in die ad ℔. ij mensuram devorantem, notam fuisse *l. 3. prax. f. 110.* declarat.

Non incommodè hîc inseritur quæstio: *cur in gravidis secundo plerumque mense sua capiat pica primordia, & post quartum dein vel planè recedat, vel saltem magna ex parte mitigetur?* Nodi hujus solutio haud erit adeò difficilis, si perpendamus, picam in hisce ex mensibus potissimùm retentis progigni. Jam verò ob fœ-

tûs exiguitatem parva ad nutritionem ſanguinis requiritur quantitas; unde puriſſima ſolùm ejus pars cedit in nutrimẽtum; reliqua, cùm non evacuetur, de facili pravam acquirit qualitatem, quæ ventriculo per ſe imbecillo impreſſa, picam progenerat. Menſe ſiquidem primo conceptus ʒ j vix excedit pondere, bimeſtris ʒ ij, trimeſtris ℥ ij, qui copiam abſumere talem minùs valet. *vid. J. Th. Schenckii P. P. Jenenſis celeberrimi, ac Domini præceptoris mei ætatèm colendi diſſert. de V. S. f. 69.* Quibus Botalli obſervationes congruunt, qui vidit homunculum 20 dierum grani hordei, & alium dierum 40. apis magnitudine. Jam quantum ſanguinis comprehendet aut conſumet infans unius, aut 4 unciarum? *Schlegel. de M. S. c. 12. p. 98.* Quod autem quarto pica menſe non amplius infeſtare ſoleat, exinde fit, quòd ejuſmodi vitioſi humores à matre ob nauſeam minus cibi capiente meliùs concoquantur, concocti ad commoda excretionum loca deferantur, & per vomitiones ſpontaneas ex parte expurgentur; boni autem, quamvis copioſi, in fœtûs grandioris & matris nutritione conſumantur; prout eleganter hæc ex Galeno allegat *Aëtius tetr. 3. ſ. 1. c. 23.*

Novus hîc exſurgit ſcrupulus: *cur* nempe *pica à menſium potiſſimùm ſuppreſſione excitari dicatur*, cùm 1. in quibuſdam menſtrua nunquam fluant, id quod *Laurentius exercit. ad Hipp. 6. aph. 29. f. 178. Mœb. fund. phyſ. c. 20. §. 19. part. 14.* cum aliis plurimis annotârunt. 2. Dein in gravidis nonnullis ad extremum uſque partûs terminum menſtruam purgationem contigiſſe idem *Laur. exerc. ad Hipp. 5. aph. 31. f. 49.* prodidit. Verùm quod ad primum; regero cum *Stagirita philoſopho 7. hiſt. anim. c. 2.* & *Lud. Bonaciol. c. 2. ennead. mul.* in nonnullis tantam ſolùm ſanguinis copiam reſidere, quanta in purgatis remanere ſolet, hinc provida rerum natura eum, ne evacuetur, detinet: Alterum quod ſpectat dubii membrum; eas uſque adeò eſſe plethoricas, ut ſanguis & pro nutritione matris ac fœtûs, & evacuatione ſuperflui ſanguinis ſuffecerit, vero valde eſt conſentaneum. Inde quoque aut omninò nulla, aut admodùm pauca hujuſmodi picantium mulierum exempla adducentur. Nam ſi hoc verum eſt, quod tamen veritati *ex relatione virorum*

experien-

experientiss. maximè congruit, eas, quæ ante futuram menstruam purgationem intermedio ferè ab antegressa tempore imprægnantur, utplurimùm picam habere comitem; si verò non longè ab evacuatione menstrua, à pica immunes esse solere: quantò magis in iis, in quibus menses statis temporibus, non vetante gravidatione, effluunt, unà cum sanguine vitiosi picam excitaturi humores evacuabuntur? Non tamen talis modi fœminas planè à picantium numero excipio: licèt enim ab ea, quæ per uteri consensum oritur, liberæ esse possint; per πρωτοπάθειαν tamen, si in victu errores committant, picâ affici poterunt.

ÆTAS cum sexu pari passu ambulat. Nulla excipitur. Prærogativa viro debetur nuptis, virginibusque lunarem excretionem expertis, ut jam monitum est. Succedunt has puellæ, quales *Forestus l.* 18. *schol. ad obs.* 7. *Marcellus Donatus hist. mirab. l.* 4. *c.* 1. *Sennertus l.* 3. *pract. f.* 110. *Trincavell. de cur. hum. corp. aff. l.* 7. *c.* 5. *Amat. Lusit. cent.* 3. *cur.* 86. *Cælius antiq. lect. l.* 11. *c.* 13. *Salmuth. cent.* 2. *obs.* 38. adsignârunt. Ipsa infantilis & puerilis ætas, quas *Hipp.* 1. *aph.* 13. per vocem παιδία conjunctim exprimit, cùm malum hoc experiatur, HÆREDITARIAM quis fortè corporis DISPOSITIONEM non iniquè huc revocârit, licèt ἀδδηφαγία harum ætatum concurrere possit. Talem nativam dispositionem in sororibus illis, quas *Salmuth. c.* 2. *obs.* 62. 63. adducit, & in puella quatuor annorum *citante* ex Camerario *Schenckio l.* 3. *obs.* 34. suos sibi crines evulsos avidissimè devorante, adfuisse, probabile est. Quod si enim à certis rebus abstinentia infantibus implantari potest, quidni & certarum rerum desiderium iis ingenerabitur? Puerulum me vidisse triennem memini, ventriculos alitum usque adeò aversantem, ut, licèt interdum parentes, eum decepturi, hos cum aliis in minutal concisis carnibus ipsi offerrent, omnia de ventriculis admista frustula ori erepta projiceret. Mater hujus sibi culpam tribuebat, *inquiens*: se filiolum utero adhuc gerentem duos gallinarum ventriculos, singulari appetitu instinctam, curiosè sibi præparari curasse: altero autem à fele præter opinionem subducto, residuum alterum iracundiâ suffusam comedere non potuisse. Plures novimus, scribit *Amat.*

bit *Amat. Lusit. cent. 2. cur. 36.* qui ab esu carnium in totum abhorrebant; alios, quibus caseus non solùm comestus, sed & odoratus pro veneno habebatur: alium quoque novimus, natione Hispanum, qui nunquam pisces gustarat, at cùm ab amico semel ad cœnam esset invitatus, ovaque degustasset, quibus siccati piscis pulvis cautè fuerat admixtus, in animi angustiam, cordis pressuras, cum vomitu & secessu incidit, ita ut propè exanimis defecerit. Mauritius Steinmetz, pharmacopœus Dresdensis, ob picam procul dubio matris, nullo animali sanguine prædito vesci potuisse fertur; cancris autem, aliisque fluviatilibus exsanguibus fruebatur, brodia quoque carnium assumebat, itemque ova, caseum & lac comedebat, qui tandem forti apoplexiâ intra dimidii quadrantis horæ spatium exspiravit.

CONSUETUDO quid valeat, silentii velo non est involvendum. Verissimum illud *Coi* ex tripode est effatum 2. *aph.* 50. consueta longo tempore, etiamsi deteriora, insuetis minùs molesta esse solent. Virgines nonnullæ, (quarum quasdam, vel patriæ meæ incolas, nominatim proferre possem, modò certum esset, velintne hæ sese nominari, nec ne) nescio quo fato ad istas ineptias abeant, ut, quò faciei ruborem emendent (**damit sie nicht viel röhte haben / wie die Bauren-Calender**) cretam, camphoram, frumentum, orizam & similia masticata deglutiant, ita ut à semel concepta opinione vix, at ne vix quidem, parentum, aliorumque adhortationibus, averti queant; donec tandem coctionis organis corruptis, cachexiam, chlorosin in specie dictam, aliaque numero innumera sibi accersant incommoda.

MORES & EDUCATIONEM in naturalium causarum gregem fortè quis non injuriâ reposuerit. Matres gravidas filiæ, præsertim adultæ, picantes si conspexerint, grave viro junctæ se peccatum committere censent, nisi matris & hac in parte premant vestigia, hinc comminiscuntur & expetunt non modò res esui commodas, sed nullo tum temporis auro comparandas, verùm & in absurdas interdum animus earum propendet. Adeò verum est, quod Poëta canit:

Scilicet

Scilicet expectas, ut tradat mater honestos
Atq; alios mores natæ, quàm quos habet ipsa.

Infantes & pueri sunt, de quibus *Vidius de cur. membr. l.9.c.9.* conqueritur, qui terram, ceram, carbones, & quidquam aliud simile mandere incipiunt, atque iisdem rebus, quantumvis alienis, pòst per universæ vitæ curriculum oblectantur. Quod ipsum si cerei in vitium flecti collusores in iis animadvertant, similem sibi, simiarum instar, morem pravum asscisćunt. Quapropter etiam ex hoc quid educatio possit, elucescit. Nam

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu. — — —

CAPVT VII

causas non-naturales complectitur.

E causis non-naturalibus primum sibi vendicat locum AER, qui si temperie gaudeat justâ, variis nos beat commodis; ab eadem si deficiat, omnium morborum mater ab *Autore libri de flatibus* non inconvenienter proclamatur; unde *Valleriola l. 1. enarr. med. 1.* νοσήματα, scribit, τούτου (ἀέρος) ἀπόγονά τε καὶ ἔκγονα πάντα ἐόντα.

In CIBO, POTU, aliisque assumendis *quantitas* aucta vel imminuta, *qualitas* & *utendi modus* à medicis attendi solet.

Nimia alimenti solidi aut fluidi ingurgitatio, quas cruditates humoresque noxios progeneret, prolixâ explicatione non indiget. *Inedia* nimia, Archeo stipendium debitum subtrahens, bilem ei commovet. Inde æstuans indignabundusque quæcunque demum obveniant, appetit.

Qualitate vitiosâ prædita si ingerantur, ventriculi τόνον destrui posse, nemo medicæ artis peritus ibit inficias. Fungi à funere dicti, quòd ad funus vescentes ducant, & tubera, inutilia terræ pondera, quorum usu integras familias deletas refert *Pergamenus l.7. de med. simpl. fac.* quia facilè corruptionem subeunt, pravam hanc & vitiosam ventriculo dispositionem imprimere possunt. Animalia vitiosis alimentis nutrita, uti sunt anates, & similes, frequentiùs præsertim comesta hûc faciunt. Carnes agnorum lactentium hâc iridem spectant, veluti & ea, quæ inter alimenta corruptioni facilè obnoxia & mali succi à *Celso* nomine &

ne & reapſe tali *l. 2. c. 28.* & *Aëtio tetr. 1. ſ. 2. c. 253.* ſunt relata.

Utendi modum multùm habere in receſſu tam clarum eſt,

Solis cùm ſudum eſt, quàm radii eſſe ſolent.

Vitioſæ ciborum qualitati non parum detrahi conſtat, ſi, quod de melonibus, malis perſicis, fragis, fructibus horariis, aliisque corruptioni facilè obnoxiis *Sennertus in inſtit.* monet, primâ menſâ aſſumantur, & poſt eorum uſum ſolidiores, & ſtomachum claudentes, qualia ſunt: mala cydonia, &c. ingerantur. Contrarium ſi eveniat, aut cibi & potus heterogenei confundantur, lerna malorum expectanda erit. Miſereri digna hiſtoria à *Salmutho cent. 3. obſ. 86.* de puella picante allegata, quâ miſerabiliorem ſibi in tota vita non obtigiſſe aſſerit, utinam omnes picantes deterreret!

Scitu non injucundam, & ut arbitror, maximè neceſſariam ſubnectere placet quæſtionem: *cur adeò abſurda δύσπεπτα καὶ ἄπεπτα, quæ alii, magno quamvis pretio pollicito, vix deguſtarent, comeſta, interdum nullam inferant noxam, ſed à pica potiùs liberent?* Cauſam potisſimam in imaginationem rejicio, cujus tanta vis eſt, ut noxam non obſervet in re quamvis nociva, modò ea jucunda ſit & accepta. Appetitus enim ab imaginatione dependet, cujus in humores & ſpiritus eſt vis maxima. Sic videmus mulieres infantibus notas quaſdam, & rerum conſpectarum imprimere veſtigia ex ſola profunda & continuata imaginatione. Gravidæ cujuſdam bubonibus peſtilentibus cum ranæ pro more recepto ad extrahendum virus imponerentur, ea puellam cujus dextræ minor digitus ranam repræſentabat, enixa eſt. Videor mihi audire docentem *non ſine honorifica mihi præfatione nominandum D. D. Rolfincium. P. P. in Academia Salana longè meritiſſ.* recenſentemque ruminantis ruſtici hiſtoriam, cujus ruminationis cauſam in matrem gravidam ſummoperè ruminantium brutorum aſpectu delectatam referebat. D. Franciſcum ex asſidua erecti in crucem Chriſti mediatione ſtigmata ac lituras in manibus pedibusque contraxiſſe, legimus apud *Lemn. l. 2. c. 2. de complex.* Sic febris quondam ſchedulâ collo appen-

appensâ curata fuit; quam cùm febricitans novitatis cupidus profligatâ febre revolvisset, invenit hæc verba:

Ein Fuchsbelß vnd ein Marderhut/
Sind beyde für das kalte gut.

Tantum pollet imaginatio! Respondeo SECUNDÒ cum *Hipp. ex prox. cit. aph.* quòd consueta, licèt deteriora, insuetis melioribus minùs molesta esse soleant. Adeoque hûc revoco peculiarem nonnullorum corporum constitutionem, *tùm* nativam, qualis videtur adfuisse Mauro illi, cui *Renealmus obs. 3. & 4.* summo cum fructu decoctum rad. cicutæ in obstructionibus hepatis propinavit: itẽ Athenagoræ Argivo, qui nunquam à scorpionibus lædi potuisse fertur: *tùm* longiore usu acquisitam. Sic Mithridatem 22. gentium Regem clandestinas epularum insidias elusurum, quotidie citra damnum venenum bibisse accepimus, prout de eo Martialis:

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.

De Liside referunt, quòd opii ℥ß sine ulla sanitatis ingesserit jactura. Vetulam quandam Atheniensem cicutam innoxiè devorâsse, testis est *Gal. 3. de simpl. med. fac. c.* 17. Thrasiam integros hellebori manipulos citra noxam ingessisse *Theophrastus* testatur. TERTIÒ evenire potest, ut ventriculo tantus insit calor, soliditasque & vis digestiva tanta, ut nisi interdum simul ejusmodi ἄπεπτα, qualia sunt: arenæ, lapilli, &c. ingerantur, ciborum cæterorum exoriatur corruptio; dum enim fermenti acrimonia agendo in solida obtunditur, reliquorum ciborum melior videtur fieri posse digestio. Quin quotidiana id confirmat experientia, quâ erudimur, in quibusdam cibos imbecillæ aut mediæ materiæ à *Celso l. 2. c.* 18. propositos, utì & pisces carnesque teneriores, cruditatem parere nidorosam; contrà verò valentis materiæ & coctu difficiliores cibos optimum corpori nutrimentum suppeditare. Accedit QUARTÒ, quòd secundùm diversam ingestorum substantiam ex singulari naturæ robore & beneficio, alimentosa cedat in nutrimentum, excrementitia verò & venenosa è corpore eliminetur.

QUINTÒ & hoc addendum, quòd licèt vitioso ventriculo

 inhæ-

inhærenti humori similia expetantur, alia tamen iis, causæ contraria, qualitas inesse possit; quamvis illa primo intuitu non deprehendatur: nam multa curationem absolvunt, quatenus sunt contraria facultate & potentiâ; similia imaginatione & sensu: seu, quatenus sunt contraria effectu, similia tamen denominatione esse possunt. Sic v. gr. spiritus vitrioli, alterum illud pro pauperibus chymicorum aurum potabile, licèt videatur esse calidus, utì reverâ est; refrigerat tamen ex accidenti, quatenus admistas particulas aqueas penetrando meliùs ad partes advehit, ut in febribus biliosis sufficienter elucescit.

De SOMNO elegantissima Marii Equicolæ *l.* 4. *amor.* à *Gregor. Horst. exercit.* 8. *quæst.* 8. annotata hîc subjungere cogor; Il sonno, *inquit*, ocio dell'anima, di tutti animanti, suave requie, di tutti pensieri, placidissimo reposo, come unico reparatore delle indebilite forze. i. e. somnus est otium animæ, omnium animalium suavis requies, omnium cogitationum placidissima intermissio, quasi virium debilium unicus reparator. Si verò excessus in eo committatur, aut VIGILIIS nimis indulgeatur, neque *Coi* 2. *aph.* 2. obtemperetur, KAKON.

MOTUI & QUIETI quoque non exigua inest vis. Nimia si sit corporis commotio, humores accendi, agitari; & si cacochymia picæ inducendæ idonea in corpore lateat, excitari, & ad ventriculum deferri potest. Ex accidenti etiam calorem corporis dissipando, cruditatesq; cumulando, eâdem quâ quies nimia ratione agere potest. *Vitam otiosam* huic fores pandere symptomati, evincitur ex eo, quòd sexui potissimùm sequiori, ætati puerili, temperamentoque melancholico, tranquillitatem, vitamque sedentariam amplexantibus, atque hinc excrementorum segetem cumulantibus, sit infensum.

Ad EXCRETORUM & RETENTORUM classem pertinet *Lunaris per uterum evacuatio* omissa à *Theodos. ep. med.* 18. *f.* 153. assignata. Proverbium & veri-verbium est, quòd optimæ rei corruptio sit pessima. Sanguis ille, qui juxta naturæ ordinem singulis per uterum mensibus excernitur, qualitate non est noxius, nec specie à reliquo sanguine differt, sed ex mente *Viri Exc. Conringii*

de calid.

de calid. inn. c. 18. *f.* 199. sexus sequior hâc evacuatione eget, quia est frigidior, & multi sanguinis; quâ prohibitâ, multò magis accumulatur; accumulata, varias mutationes subit, dum vel putredinem vel aliam vitiosam aut malignam qualitatem acquirit. Quæ si ventriculo communicetur, picæ autor esse potest, prout in gravidis contingere observamus.

LOCHIIS non ritè fluentibus ortum debuisse illam melancholiæ speciem, ad picam suo modo reducendam, quâ ægra nil de appositis cibis attingebat, sed clanculum à muribus jam arrosum panem suffuratum comedebat, censet *Salmuth. cent.* 1. *obs.* 82.

HÆMORRHOIDUM fluxus periodicus suppressus simili modo ad procreationem malaciæ concurrit. Hinc apud *Joh. Rhodium cent.* 2. *obs.* 57. picam quondam horum fluxu sanatam esse advertimus. *Evacuationes consuetæ* per V. S. & SCARIFICATIONEM omissæ, suum hîc conferre possunt symbolum.

Hûc & BALNEA referenda esse arbitror, non quòd simpliciter ad vitam necessaria sint, (quam ob causam quoque à Gal. l. περὶ τέχνης ἰατρικῆς c. 85. inter res 6. non-naturales non sunt recensita, quod in eo perperam *Joh. Argenterius in comm.* 3. *in art. med.* reprehendit, cùm Galenus res non-naturales ad absolutam solùm necessitatem adstrinxerit) sed quia ad vitam meliùs & elegantiùs tantùm degendam faciunt. Nam

Balnea, vina, venus, corrumpunt corpora sana;
Corpora sana dabunt balnea, vina, venus.

Hæc nimis calida vel frigida, aut nimis frequenter, præsertim statim à pastu, usurpata, suum quoque addunt calculum.

ANIMI AFFECTUS quid præstare possint colligere licet ex eo, quòd ex violento spirituum humorumque motu gravissima sæpe symptomata, imò inopinata interdum mors concitetur. Hoc intelligens *Suada Ciceroniana ep.* 28. *ad Tironem* ita scribit: audio te animo angi, & Medicum dicere: ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex somno tuas literas, humanitatemque, ob quam mihi es charissimus. Nunc opus est te animo valere, ut corpore possis.

Terrore calor de subitò ad fontem recurrens humoribus colle-

 ctis, ut

ctis, ut regimine nativi caloris destituti exorbitent, & veluti custode deficiente ventriculum p. n. afficiant, occasio præbetur. Puella citante *Foresto schol. ad obs.* 8. *l.* 18. terrore correpta, in hanc malam corporis incidit dispositionem, ut lecto variis stipata symptomatibus decumbens nil aliud, quàm casei momentum, & nil præterea liquidi aut solidi assumeret. Idem esto de aliis affectibus, v. gr. tristitia, ira, imaginatione & similibus, judicium.

CAPVT VIII
de causis p.n. agit.

PRÆTERNATVRALIVM causarum non postrema est *languor & imbecillitas stomachi.* Cùm enim omnibus morbis juxta *Celsum*, maximè obnoxia infirmitas sit, vitiosi in corpore latitantes humores facillimè ventriculo debilitato communicabuntur. Hoc innuit *Cous noster* 4. *aph.* 33. ἤν προπεπονηκός τι ᾖ πρὸ τοῦ νοσεῖν, ἐνταῦθα στηρίζει ἡ νοῦσος, i. e. *si ante morbum pars quæpiam laboraverit, in eam se morbus obfirmat.*

In *affectu hypochondriaco* quia nec excrementum *crassum*, quod melancholia communiter appellari solet, per ramum splenicum & mesentericum ad intestina ablegatur; neque *tenue*, quod serosum & ichorosum vocatur, estque iterum duplex, mite & acre, prout *eruditissimus Hipp. Gal. & Arist. interpres Casp. Hoffmannus* laudabili conatu in suo *de lienis usu* tractatu explicuit, ritè separantur, sed in corpore restagnant, de facili pravam acquirunt qualitatem. Quâ ad ventriculum ablegatâ haud difficilis ad picam descensus.

Chlorosi virginum picam interdum conjungi testatur *River. in prax. cap. de chlorosi.*

Molam, veram imprægnationem mentientem, picam nonnunquam habere comitem experientia commonstrat.

Callum in Petri Altimarii filii mesenterio deprehendit *Benivenius c.* 38. *de abditis rer. caus.* octavum ætatis annum agentis, inque corruptum hunc appetitum incidentis, quo calculos ruderaque comederet, Tandem ventriculo cibos non amplius

conti-

continente, febriculaque lentâ cumventris fluxu supervenien-te,extinctus est.

In *febrium* declinationibus præcipuè,ubi ζέσι humorum per-actâ,aliqua excrementitii succi residui pars ad ventriculum de-mandatur, vigere interdum picam observamus. Idem in aliis quibusdam morbis chronicis,*scorbuto,ictero* & *hepatis obstructione* graviore nonnunquam evenire refert *Coiter libell. obs. anat. & chirurg.*

CAPUT IX.

differentias continet.

CAusarum extricationem differentiæ insequuntur.

In GENERE considerata pica differt 1. *ratione indi-vidui*,quatenus vel natu minoribus vel adultioribus molesta est. 2. *sexûs*,prout vel masculinum,vel fœmininum, eumque rursus vel in,vel extra gravidationem offendit.3. *durationis*, prout vel recens est,vel firmo jam talo nititur.4.*invasionis* vel continua est, vel periodica.

SUBJECTI respectu occurrunt differentiæ, prout ven-triculus vel per essentiam,vel per consensum affligitur.

CAUSARUM differentias tot, quot causas ipsas in-venies.

CAPUT X

de diagnosi

Μόνον, ὁ τῶν σημείων ἔμπειρος, εἰκότως ἐπιχειρέειν, i.e.solum morbo-rum dignotionem habentem ritè curationem institue-re *scribit Hipp.* περὶ ἰητρῦ. Et *Hofm.l.de.us.& ab.chym.*eum Andabata-rum more,clausis cum hoste oculispugnaturum censet,qui par-tem affectamignorat.In quam censuram ne incurram,signorum expositionem aggredior.Et quidem ΔΙΑΓΝΩΤΙΚΑ quod atti-net,in GENERE quæ occurrunt,pauca sunt, & desumuntur potissimùm *ἀπὸ τῶν ἐνεόντων κατὰ τὸν τῆς ὀυσίας λόγον, ab essentialiter in-hærentibus.* Æger ipse,aut adstantes appetitûs depravati condi-

tionem

tionem exponent: & si præterea lipothymia, anxietas circa præcordia, & ventriculi compunctiones adjungantur, facilè animadvertetur.

SUBJECTI pariter *ratione* quæ habentur signa, non adeò multa occurrunt: afficitur quippe semper sinistrum ventriculi orificium. Ad curationem tamen facit, cognoscere: utrum essentialiter, an verò sympathicè patiatur? itaque, si continuò hoc symptoma affligat, & hæreditaria corporis inclinatio adsit, neque signa aliarum partium affectarum appareant, idiopathicum esse suspicaberis: si verò per intervalla infestet, illud ob consensum aliarum partium oriri colliges. Ab *utero* si contingat, signa affecti uteri se prodent; aut enim graviditas vera vel imaginaria aderit, aut lunare debitum non exsolvetur. *Mesenterio, lieni, hepati* suas si debeat pica natales, harum partium vitiosè dispositarum signa invenies.

CAUSAS si scruteris, hæ vix notitiæ se subtrahent tuæ, præsertim si externas, quales sunt: vitæ genus, otium, prava victûs ratio, vituperanda consuetudo, & similes, trutinaveris. Internarum cognitio paulò majorem difficultatem pariet. Graviditas, menstrua per uterum aut hæmorrhoides evacuatio suppressa si picam comitentur; ex hisce causis eam ortum habere judicium ferendum est. Quinam autem humores vel vapores peccent, ex superiùs recensitis causis itidem argumentaberis. Dictum est ibidem, plerumque occultam quandam qualitatem conjungi; quocirca si exactè humorem peccantem definire non possis, analogicè tamen huic vel illi humori prædominium deberi cognosces. v. gr. si carbones, sal & similia patiens appetant, humores melancholicos, salsos & adustos in culpa esse divinabis: id quod manifestiùs elucescet, si prædictorum humorum portio aliqua per alvum aut vomitum excernatur; si ructus acidi vel nidorosi adfuerint. De aliis simile esto judicium.

CAPUT XI.

De prognosi.

PRæsagiendi naturam accipitro tribuêre Ægyptii, qui & ipsi prædicendi facultate magnam sibi famam conciliârunt;

runt; ſed omninò hoc vanum fuit; nixi enim ſunt occultis dæmonum ſuggeſtionibus, utì hoc ὁ χαριέστατος *Conring. tr. de Hermet. med. c.* 12. *à f.* 136. *ad f.* 140. uſque demonſtrat. Saniores Medici ſub timore Dei ex ſignis variis inter ſe collatis & collectis prognoſim ſuam formant. Eleganter *omnis medicinæ parens Hipp.* hanc artis noſtræ partem commendaturus *ſub principio lib. de progn.* ſcribit: προγινώσκων καὶ προλέγων παρὰ τοῖσι νοσέουσι, τά τε παρεόντα, καὶ τὰ προγεγονότα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι, ὁκόσα τε, &c. quod *Foëſius* ita transtulit: cùm præſenſerit & prædixerit apud ægrotos, tum præſentia, tum præterita, tum futura, quæque ægri omittunt expoſuerit, res utique ægrotanti magis agnoſcere credetur, adeò, ut majore cum fiduciâ ſeſe homines medico committere audeant. Tria autem prædici conſueverunt.

I. SALUS aut MORS 1. *in genere* Periculoſum eſt hoc ſymptoma ob partis affectæ neceſſitatem, non tamen omninò lethale. Ex accidenti tamen atteſtante *J. B. Sylvatico hiſt. 6. p. 26.* ſic animum perturbat, ut niſi appetitui ſatisfiat, lipothymiæ, ſyncope, abortus & mors ipſa ſuperveniat.

Præſtat *teſte Iben Sinâ l. 3. f. 13. tr. 2. c. 10.* picantes acida & acuta, quàm planè à natura aliena appetere. Hæc enim à natura vix digeri poſſunt. Si autem cernatur nullum grave ob aſſumpta evenire ſymptoma, ut: ſyncopen, lipothymiam, ἐφίδρωσιν, convulſiones epilepticas, & ſimilia, ſalutare.

2. *ratione ſubjecti.* Si continuò pica moleſtet, majus periculum, quàm ſi per intervalla prehendat, metuendum eſt; ſic enim ventriculus per συμπάθειαν plerumque laborat, & correctâ parte mandante, ventriculoque roborato, eliminabitur. Si autem ex ſympathico fiat idiopathicus, curatu difficilior eſt.

3. *ratione cauſarum.* A partu niſi ceſſet, latet anguis in herba: cùm ejusmodi vitioſi humores unà cum lochiis expurgari debuiſſent.

Vomitus, diarrhœa, fluxus menſium aut hæmorrhoidum ſi ſuperveniant, *cæteris paribus,* ſalutare; evacuatur enim hoc pacto ſimul materia peccans. Si autem excretiones ſpontaneæ, vel arte factæ, nihil juvent, periculum augetur: quoniam διάθεσις firmiùs impreſſa, & quaſi habitualis, ſummo cum labore

 era-

eradicanda denotatur, extimeſcendumque, ne quid gravius immineat.

Per conſuetudinem pravam ſi inveteraverit pica, adeò ut penè naturalis facta ſit, emendatu difficilior, quàm ſi prima capiat primordia.

Si picantes edulia prava averſari incipiant, & laudabilibus minore cum faſtidio frui, proximæ ſalutis ſignum certisſimum eſt.

II. LONGITVDO & BREVITAS. Chronicus plerumque hic affectus eſſe ſolet. In gravidis quarto utplurimum menſe terminatur. A primis vitæ incunabulis ſi contractus ſit, longiores moras trahet, neque facilè medicamentis cedet, ſiquidem

— — — — ſerò medicina paratur
cùm mala per longas invaluêre moras.

Sympathicus idiopathico citiùs eradicabitur.

III. MODVS EVENTVS adeò præcisè definiri nequit, ſi enim fortè evacuationes quædam per alvum, vomitum, menſes, hæmorrhoides, aut alia loca convenientia deſubitò accidant, fiantque cum ægri εὐφορίᾳ, ſalus; ſin minus, exitialis, aut ad minimum anceps eventus ſperandus eſt. Aliàs probabilius eſt, per lentam ſolutionem, ſive λύσιν picam deſituram eſſe.

CAPVT XII

methodum medendi cum hûc facientibus indicationibus perluſtrat.

Supereſt methodica hujus ſymptomatis ſublatio, quæ, quomodo inſtituenda ſit, antequam proponam, primò inquirendum eſt, *utrum vitioſa hæc appetentia inhibenda ſit, nec ne?* In negantium caſtra qui deſcendunt, tuentur ſe *Hipp. 2. aph.* 38. quod paulò deterior cibus & potus, ſuavior tamen, meliori quidem, ſed ingrato, præferendus ſit. *Alterum* argumentum deducunt ab exemplis, cùm conſtet picantes ſæpe, ubi expetitorum ciborum participes facti fuerint, convaluiſſe. *Tertiò* ipſam rationem

hoc dicti-

hoc dictitare asserunt. Si enim desideratus ventriculo cibus suppeditetur, avidiùs eum complectitur, feliciùs concoquit, & in optimum succum convertit: *testante Gal. in comm. ad cit. aph.* Cùm ergo hac ratione paucior sit excrementorum proventus, ægris utique mos gerendus est. *Quartò* evenire posse, ut natura, à desiderato cibo copiosiùs æquo ingesto onerata, eum per vomitum aut alvum vitiosis succis commistum evacuet. Verum enim verò nec *nos* iis contrariamur, modò omnia rectè explicentur. Nam quod ad *Coi aph. cit.* ille pro nostra potiùs militat sententia. Concedimus *paulò* deteriorem, suaviorem tamen, utiliori ingrato præferendum esse, modò ne sit *multò* deterior, & in cibariorum numero locum omninò non inveniat; aliàs *doctore eodem Hipp. 2. aph. 50.* δεῖ καὶ ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν, etiam ad insolita transgrediendum est. Hinc ad reliqua tria argumenta responsio facilis, quoniam jam non tam sermo est de rebus esui aut omninò, aut aliquatenus aptis avidiùs petitis, quàm de rebus naturæ nostræ prorsus adversis. Sic enim crudelitatis & rigiditatis suspicionem non iniquè in se contraheret Medicus, si cognoscens, cibum minùs convenientem summo animi desiderio expetitum, nullam notabilem noxam illaturum esse; eum ægro non permittat, prout doctissimè *supra laudem positus D. J. C. Bauhinus, Ph. & Med. D. Academiæ Senior gravissimus, ac facultatis me l. p. t. Decanus longè meritiss. Dn. Mœcenas nullo non honoris cultu jugiter mactandus, in discursu super antè cit. aph.* monuit. Hoc enim idem *Cous* præcipit *6. epidem.* cibos, potus & obsonia, quæcunque ægri concupiscunt, exhibeto. Eodem modo in gravidis procedendum est. Sic prægnans apud Langium *l. cit.* duos ex pistoris humero bolos dentibus evellens, & tertium insultum pistore recusante, duos vivos, unum mortuum infantem genuit. Alia, quod sciam, prægnans odore stercoris vaccini allecta, nullam ex eo affatim ingesto noxam contraxit, sed fœtum incolumen accedente partûs tempore in lucem edidit. Addendum & hoc, quòd expetita, præterquam quòd ventriculo grata sint, interdum humori peccanti contrariâ aliquâ qualitate prædita esse possint, licèt ea primo intuitu non deprehendatur. Interim tamen cum hic

affectus non raro nimis molestus sit, varia accersiturus incommoda, methodicam sui exstirpationem, secundùm INDICATIONES institutam, requirit. Duplices eæ sunt: rerum nempe secundùm, & præter naturam. Hæ in duas subdividuntur: quæ enim ab ipso p. n. affectu desumitur, *curatoria*; quæ caussas respicit, *præservatoria* appellatur. A rebus s. n. quæ suppeditatur indicatio, *vitalis* nomine insignitur.

CURATORIA ad morbum dirigitur, qui est intemperies. Hæc cùm ad sublationem causæ tollatur, idcircò PRÆSERVATORIA prædominatur, quæ vult, ut materia vitiosa in ventriculo vel genita, vel aliunde admissa, si *quantitate* peccet, evacuetur; si *qualitate*, contrariis emendetur; si *motu*, revellatur, derivetur, & per locum solitum ut effluat, adjuvetur: VITALIS totius & partium rationem habet; ideoque non solis evacuantibus inhærendum, sed præterea alterantibus, roborantibus, & modicè ventriculum adstringentibus, ne ulteriùs vitiosos humores admittat, utendum esse ostendit.

Hisce quo pacto satisfiat tres consueti fontes; *chirurgicus*, *pharmaceuticus*, & *diæticus*, jam ordine visitandi, declarabunt.

CAPUT XIII.

chirurgici fontis recludit thesauros.

IN CHIRURGICO armario primâ statim fronte divinum ab Hippotamo juxta Plinium inventum auxilium VENÆSECTIONIS se offert. Quæ an hîc locum habeat, ulterioris res est indagationis. Primarium ejus indicans est sanguis quantitate vel motu peccans. Alterutrum, vel utrumque in pica si adsit, quidni eam instituemus? In gravidis cautè mercandum est. Quamvis enim eam non omninò cum *Hipp.5.aph.31.* improbem, cùm experientia de sanguine salutariter primo, tertio, quinto, sexto, septimo, octavo, aliisque mensibus in gravidis per venam sectam emisso *consule Laurent. exercit. ad Hipp. aph. cit. River. prax l. 15. c. 16.* aliud demonstret; attamen si virium debilitas præsens aut futura impediat, differenda est. Disertè pro more suo *Latinus Hipp. Celsus l. 2. c. 10.* præmissâ de V. S. Veterum opinione,

nione, oſtenſurus, non tam ætatem & graviditatem, quàm vires reſpiciendas eſſe, *ſcribit*: Uſus oſtendit nihil ex his eſſe perpetuum, aliasvé potiores obſervationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi curantis auxilium debeat. Intereſt enim, non quæ ætas ſit, & quid in corpore intus geratur, ſed *quæ vires ſint*. Ergo ſi juvenis imbecillis eſt, aut ſi mulier, quæ gravida non eſt, parùm valet, malè ſanguis emittitur. Emoritur enim vis, ſi quæ ſupererat, & hoc modo erepta eſt. At firmus puer, & robuſtus ſenex, & gravida mulier valens, tutò curantur. *Hæc Celſus.*

Locus pro parte mittente variat. Obſtructis menſibus aut hæmorrhoidibus pica ſi aſſcribatur, revellendi cauſa venæ tali aperiantur. In gravidis quamvis V. S. in pedibus celebratam nullam interdum noxam intuliſſe autores prodant; minore tamen fortè cum abortûs periculo ſuperiores inciderentur, & in pedibus FRICTIONES adminiſtrarentur.

SCARIFICATIONES nudæ vel cucurbitulatæ primariò quidem ſanguinem ſubcutaneum & vaſis capillaribus inhærentem evacuant; ſecundariò verò circuitum ſanguinis attendendo, & toti maſſæ ſanguineæ ſucceſſivè aliquid detrahunt. Hæ in gravidis præprimis, in quibus à V. S. metuitur, ejus vicem ſupplebunt: ſic enim Medicus famam plebejis ſuam non ita venalem exponet. *Molinetti medici Patavini ingenioſiſſimi* inſtrumentum, quo ſub cucurbitulæ prætextu ſimul ſcarificatio abſolvitur, ſuâ laude non caret; cùm, ſi forte cucurbitularum uſus non deſideretur, nihilominùs uno impulſu cutis multis in locis, æqualibus intervallis, quod Antyllus *citante Oribaſ. med. coll. l.* 7. *c.* 18. requirit, diffindatur. Similis ex parte inſtrumenti, quod tribus æqualibus ſcalpellis ſimul conjunctis unâ aggreſſione tres fiſſuras infligit, jam meminit *Aegin. l. 6. c.* 41. quanquam hoc inutile ducens uno ſcalpello utatur.

FONTICULOS & SETACEA ſi ſalſi humores à cerebro defluentes incuſentur adhibere, non erit ſine fructu.

HIRUDINES venis ſedalibus in hæmorrhoidum obſtructione applicitæ ſalutarem promittent eventum.

CAPVT XIV
penum depromit pharmaceuticum.

PHARMACIÆ fores patent pulſantibus, auxiliumque implorantibus exhibet tum *evacuantia*, tum *alterantia* & *roborantia*.

PER ALVUM EVACUANTIA ventriculi, adiacentium partium, & totius interdum corporis cacochymia requirit; quâ è corpore exturbatâ, viſceribusque confortatis, picam proſcriptum iri, ſperandum eſt. Cùm autem hi vitioſi ſucci tunicis ventriculi non raro tenaciter impacti eſſe ſoleant, ita, ut ab exhibitis catharticis potiùs irritentur & moveantur, quàm planè removeantur, idcirco

PRÆPARANTIA ac DIGERENTIA præmittenda ſunt, quorum beneficio materia peccans ita disponatur, ut purgantibus poſtea propinatis nullo modo renitatur. Univerſalis omnibus humoribus accommodati digeſtivi vices obtinent: *acidum tartari*, *tartarus vitriolatus*, quibus aliquid de *fæcul. aron. ſale fumar. elæoſ. citri* & ſimilibus admiſceri poteſt.

LENIENTIA præparantibus ſubjuncta feliciùs operationem abſolvent, eorumque uſus continuatus non raro cathartica κατ' ἐξοχὴν dicta eludet. Quem enim in finem fortiora in uſum trahemus, ſi levioribus negotium expediri queat. Conſulibus quondam Romanis domo egredientibus faſces virgarum cum ſecuri præferebantur. Quibus indicatum ibant, quod, cùm vitiorum alia ſint inſanabilia, alia ſanabilia; virgis, quæ emendari poterant; immedicabilia, ſecuribus exſcindenda ſint. In eundem modum ſi lenientibus cauſa paret, catharticorum violentiam effugiet. Hæc variè ſecundùm cauſæ varietatem concinnari poſſunt, & in iis recenſendis, cum nota ſint, non immorabor.

Succedunt PURGANTIA, è quibus aliqua ſi quis in lenientium claſſem retulerit, per me licet; pro vario enim exhibendi modo, variâque tum humoris, tum corporis diſpoſitione variè actionem ſuam exſerunt, & hinc modò his, modò illis accenſeri queunt. In CAUSA BILIOSA *Aloë* præcellit. Hanc anti-

antiquitas veneranda in omnibus fermè exhibebat cruditatibus. *Hierapicra Galeni*, Græcis ἱέρη δι' ἀλόης ad differentiam τῆς διὰ κολοκυνθίδ@, à Vidio, Amato, Primerosio & aliis commendata, formâ pilulari exhiberi posset, modò ne teneriores ægri eam ob nimium amarorem aversarentur. *Hiera*, seu, *sacra* dicitur hæc compositio, ob singularem usum, ad quem eam veteres adhibebant; ita, ut juxta Avic. utilius hierâ medicamentum in ventriculi morbis à materia prodeuntibus non detur: *picra* verò ob amaritiem; quocirca eidem *Gal. de cur. per sang. miss. c.* 18. simpliciter *amara* audit. Super ejus compositione & dosi eleganter *Capiv. l.* 3. *pract. c.* 2. *f.* 646. & *Rol. finc. tr. de med. purg. cap. de Aloë* differunt. *Ruffus Ephesius in fragm. de med. purg.* scribit: etiam pueris optimam aloën medicinam fore, nisi supra modum amara esset. Verùm utcunque amara sit aloë, dulcis fiet, si usum spectes. Quocirca baseos loco *Actuarius M. M. l.* 5. *c.* 9. *sacram amaram Galeni* usurpat, & ad bilem flavam feliciùs purgandam, admiscet *scammonium*; si pituitam, *agaricum*; si melancholiam, *epithymum*. Hodie his præferuntur extracta, quæ & in minore quantitate, & multò minori cum molestia humores educere apta sunt. Pilulæ ex *aloë rosata* vel *violata* paratæ passim in usu sunt, quæ Francofurtensium vel Angelicarum vulgò nomine circumferuntur. An autem revera tales sint, dubitandi ansam præbet *Schrœderus pharmac. l.* 2. *c.* 74. Vero valdè consentaneam descriptionem habet *Hœferus in Herc. med. p.* 384. qui consulatur.

Exẽpli causa sequentes aut similes concinnari possunt formulæ:

1. In Causa Biliosa

℞. *aloës violat.* ʒß *extr. rhab.* ℈ß, *res. gial.* g. vij. *mastich.* ℈ß. *c. sir. de cich.* C. *rhab.* F. Pilul. num. xxx. pro 2. dos.

℞. *spec. diaturb. C. rh.* ʒß *tart. vitriolati*, *salis cichor.* an. ℈ß *scammon. sulphurat.* gr. v. M. F. c. *cons. ros. rubr.* ʒij & *facch. q. s.* Bolus.

℞. *myrob. citr. cond.* ℥ß, *cort. citri cond.* ʒß *rhabarb.* ℈ij, *rad. gial.* ʒß, *crẽ. tart.* ℈j F. c. *facch.* ℥iß in *aq. acetos. soluto* Morsuli pro 2. dosib.

2. In Causa Pituitosa

℞. *M. P. de hiera c. agaric.* ℈j *extr. mechoac. gial.* an. g. v. *scord. calamenth.*

menth. an. gr. iij *troch. alhand.* g. ij M. F. c. *el. propr.* Pil. num. XIII. adde *ol. anisi* gt. j. D. pro una dosi.

3. In Melancholica

℞. *extr. helleb. nigr.* gr. v. *fol. senn.* g. *iij. panchym*, Cr. ℈ß *fœnic.* g. iij. F. c. *tinct. chalyb.* pilulæ num. XI.

℞. *pulv. fol. sen. Montagn.* ʒ ß, *extr. card. B.* gr. v. *salis fraxin.* gr. vij, *rad. helen. cond.* ℈ j, *cons. beton.* ʒ ijß. M. F. *c. sacch. q. s.* Bolus, aut c. *sir. de fumar.* Conditum.

℞. *fol. sen. s. s.* ℥ ß, *fibrill. helleb. nigr.* ℈ ß, *H. cuscut. fumar.* an. p ij, *fl. viol. borrag. summit. centaur. min.* an. p j. *sem. fœnic.* ʒ ß. incis. infund. in loco cal. per n. in *aq. chamædr. scord.* q. s. Colat. ℞ ℥ iij. add. *sir. de beton.* ʒ vj, *essent. fumar.* ℈ ß. D. pro Haustu.

Vomitoriis interdum plus proficitur, quàm sæpius per alvum purgantibus pharmacis exhibitis; immediatè enim commota materia in altum propulsa per fauces excluditur. Quocirca si nihil obstet, *adisis Trincavell. de comp. med. l.* 1. *c. ult. Beguinum tyr. chym. l.* 2. *c.* 12. ea purgantibus vel præmittantur, vel succedant, prout consultiùs videbitur. Eum in finem Aëtius *aquam tepidam*: Capivaccius *l.* 3. *prax. c.* 7. *jus pulli tepidum c. sir. acetos. s.* vel *oxymellite* exhibet, atque usu exigente ad *succum* raphani ascendit. *Princeps Arabum Avicenna* si lutum appetit patiens, propinat aquam vel decoctum vomitorium, in quo dissolvit lutum alhaur, i. e. secundùm mentem *Jac. à Partibus in comm. ad Avic.* purum commune, quod non est infectum aliquâ putredine aut extraneo aliquo odore aut sapore; tale est sequens: ℞ *luti puri comm.* ℥ j dissolv. in *aquæ* ℔ j cum *salis* ℥ j; adde *sem. atripl. caulis, erucæ* an. ℥ iß, expone soli, ut medietas consumatur, reliqua propinetur à sumpto cibo. Ad eundem modum si cretam, bolum, & similia desideret æger, ea in liquore dissoluta exhiberi, & pòst vomitorium propinari posset.

Anne ergo etiam gravidis tutò propinantur? Distinguendum inter prægnantes ad vomitum proclives, inque primis gestationis mensibus picâ detentas; & his contrarias. In illis quidni convenient, cùm sæpe ultrò vomitus iis accidat? in his tantum abest, ut prosint, quin potiùs noceant, & abortui causam ministrent.

Præ-

Præmiſſis hoc modo evacuationibus univerſalibus, DISCUTIENTIA reliquias in uſum trahenda ſunt, v. gr. *diacalaminth. ſem. fœnic. anethi*, & ſpecificè *ſem. ammeos*, de quo vid. inferiùs plura. Interim tamen ne ventriculi tonus diſſolvatur, ROBORANTIA cùm interna tùm externa non negligenda ſunt. *Vidiùs l. cit. aquas Tettucianas*, quæ ſuppeditantur à valle Nebulenſi, aut etiam *Porrectaneas*, quæ deferuntur ex agro Bononienſi, commendat, eò quòd detergendo vitioſos humores ventriculo ſimul robur addant, eumque confirment, ut neque pravos ſuccos progignat, neque aliunde transmiſſos recipiat. Harum aquarum defectum, quia

— — — *non omnis fert omnia tellus*,

alia ſupplebunt roborantia, v. gr. in CALIDA INTEMPERIE.

℞. *condit. rad. cichor. acetoſel.* an. ℥ i ß, *rib. berber.* ana ʒ i i ß, *cydon.* ʒ i i j, *conſ. roſ. vitriol.* ℥ j, *ſpec. diatr. ſant.* ʒ j F. c. *ſir. portul.* & *granat. acid.* q. ſ. Conditum.

℞. *ſpec. diamarg: fr. diatri. ſant.* an. ʒ i ß *aromat. roſat.* ℈ j. *ſalis prunellæ vitriolat.* ℈ ß. F. c. *ſacch.* ℥ i i j in *aq. roſ. & endiv.* an. q. ſ. *diſſoluto* Rotulæ.

In FRIGIDA INTEMPERIE.

℞. *conſ. menth. abſynth. meliſſ.* an. ℥ ß, *cond. calami arom. cort. citri, aurant.* an. ʒ i ß, *Nm. in India cond.* ʒ j, *ſpec. diagalang.* ʒ ß, *miſtur. ſimpl.* ℈ i j. F. c. *ſacch. albiſſ.* ℥ vij *in aq. cinam.* ʒ i i j *& menthæ* q. ſ. *ſolut.* Morſuli.

℞. *eſſ. card. B. abſynth.* an. ℈ ij, *miſtur. ſimpl.* ʒ ß. M. S. Magenſtärckende Mixtur/davon zu zeiten XV. à XX. tropffen.

De SPIRITU VITRIOLI, lapide officinæ angulari nonnullis appellato, non prætereundum eſt, quod ſummo cum fructu in quacunque ventriculi intemperie, modò convenientia vehicula eligantur, propinetur: mirificè ſiquidem ventriculi coctionem, craſſos & tartareos humores incidendo, promovet. MISTURA VITRIOLATA THERIACALIS TARTAREA, à *Paracelſo l. de reb. natural. c.* 8. ſub nomine *arcani caduci* deſcripta, hûc referenda. Hæc miſtura in pharmacopoliis aliàs *miſturæ ſimplicis* nomen invenit, quod tamen *Hœfero in Herc. med. p.* 90. abſonum videtur, non ſine ratione, cùm ex pluribus componatur. Verùm, ſi perpendas.

pendas, hanc medicinam per se quidem esse compositam, variis tamen aliis variæ intentioni respondentibus misturis tanquam basin conjungi, eo respectu commodè simplicem appellabis.

De ADSTRINGENTIBUS brevibus præterea subjungo, quòd in eorum usu, si ventriculus idiopathicè laboret, cauto opus sit. Si autem aliunde materia vitiosa affluat, præmissis evacuationibus, iis ventriculum modicè præmunire non erit sine fructu.

DIAPHORETICA & DIURETICA, si massa sanguinea ejusmodi superfluitatibus facilè per has vias eliminandis scateat, locum aliquem hîc inveniunt. *Platerus* aliquando picam sanavit frequenti *amygd. amar.* & *persicorum* usu, exhibendo 15 pro dosi ante prandium, & superbibendo vini generosi ℥ ß. Imitatus hac in parte *Aëtium tetr.* 4. *s.* 4. *c.* 10. quinque aut septem amygdalas am. picantibus pro vice commendantem. Ob eandem per διούρησιν evacuandi facultatem eas ad præservationem ab ebrietate usurpari observamus.

℞. *amygd. amar.* ʒ i ß, *nucl. persic.* ʒ j, *nuc: pin. pistac.* an. ʒ ß, *sem. malv. portulac.* an. ℈ j. F. c. *aq. fragor. petros. chæref.* an. ℥ i ß. *cinam.* ʒ ij Emulsio, cui add. *ocul. 69. ppt.* ℈ j, *man. Christi perlat. q. s.* S. Harntreibende milch.

℞. *extr. ononid. bacc: junip.* an. ℈ ß, *ocul. 69. ppt. succin. ppt.* an. gr. v. M. F. c. *tinct. tart.* pilulæ num. XIII. S. Harntreibende Pillen.

℞. *spir. aperit. Pen.* ℥ß, *extr. absynth.* ʒij ß, *mist. simpl.* ℈ j. M. S. Elixier.

℞. *sal. fraxini, genistæ, tamarisc.* an. gr. x. *chæref.* g. vij. *ocul. 69. ppt.* ℈ ß. M. S. Saltz auff ij mahl.

Diaphoreticorum loco sunto sequentia.

℞. *extr. scord. card. B.* an. gr. i x. *antimon. diaphor*, gr. vij M. F. c. *mistura s. q. s.* pilulæ num. IX.

℞. C. C. *phph. ppt.* gr. xv, *bezoard. miner.* gr. v. *salis centaur. min. betonic.* an. gr. vij. M. F. pulvis, aut cum *conserv. fl. lavend.* & *sacch. q. s.* Bolus

℞. *aq. helen. scorzon. scord. card. B.* an. ʒ vj, *spir. xyloguaj.* ℈ ß, *sir. cochlear. chamædr.* an. ʒ iij, *mastichin.* ʒ ij. M. pro Haustu.

SPECIFICA quæ picam tollere creduntur facultate, non adeò

adeò multa ab autoribus annotata ſunt, forſan quod pica generaliũ remediorum ritâ adminiſtratione devicta ſuccumbat. Quæ autem adducuntur, plerumq; vi calefaciendi, ſiccandi, diſcutiendi, & urinam ciendi ſunt prædita. Tale eſt SEMEN AMMEOS, quod aliàs *cuminum Aethiopicum* vocatur, & guſtui origani ſaporem affert. Quod antedictâ facultate inſtructum eſſe *Aegineta de re med. l. 7. c. 3. Oribaſ. ſynopſ. l. 2. c. 5. & 16. medicin. collect. l. 11. & 15.* & *de ſimpl. med. l. 2. c. 1.* teſtatum reddunt. Eum in finem hoc ſemen ad ʒ ß, quatuor ſucceſſivis diebus adhibuit *Platerus. Capivaccius l. cit.* uſurpat pilulas ex 5 *granis ammeos, macis, ſaſſafr.* & *Zinzib. c. oxymellit. ſcyllit.* factas. Alii ex *ſem. amm.* ʒ j, *macis* ʒ ß, *Zinzib.* ℈ j, *ol. aniſ.* ℈ ß, *ſacch. in aq. cinam. ſolut.* ℥ iiij, præparant Rotulas, quarum *doſis* manè ʒ iij. *Joh. Ph. Brendelius conſ. 103. p. 365.* ex Platero inter unum vomitum & alium ante prandium ſequentem propinat pulverem ad ʒ j ex vino generoſo: ℞ *cardam. maj. min.* an. ʒ j, *ſem. amm.* ʒ iij, *maſtich.* ʒ i ß, *ſacch. albi* ad pondus omnium. Ex iiſdem tragæam à cibo uſurpandam concinnat. *Jac. à Partibus comm. ad Avic. l. 3. f. 13. tr. 2. c. 11.* præmiſſis univerſalibus, ex *ſem. amm. cymini, an.* ℥ ß, *maſtich.* ℥ j, c. melle parat MASTICATORIA inſtar amygd. de quibus jejunè unum maſticare præcipit.

PORTULACAM ab *Aët. tetr. 4. ſ. 4. c. 10, Rabbi Moſe 2. aph. 6.* commendatam, cur *Winckelmannus medic. officin. tab. 7.* inter ſpecifica picæ remedia retulerit, cùm viribus ſemini ammeos contrariis inſtructa videatur, non liquet: niſi eo illam reſpectu prodeſſe exiſtimemus, quo ob humectandi & refrigerandi facultatẽ, humorum acrimoniam, ſi adſit, infringat, & per vias urinarias educat. Ineſt præterea herbæ huic, advertente *Oribaſ. med. coll. l. 15.* viſciditas quædam, quâ ventriculum blandè quaſi oblinit; ſicut eam dentium ſtuporem ex acidorum uſu contractum emendare experimur, dum nimirum viſcosâ humiditate lenit, & ab aſperorum contactu exaſperata levigat.

Hier. Mercuriali, ceu ſingulare experimentum, ſequens in uſu eſt compoſitio: ℞. *ſem. ſinap.* ℈ ß, *oſsium columb. aſſat. & incinerat.* ʒ ß, *ſem. portulac.* ℈ ij, *ſucci cydon.* ℥ i j, *ſacch. albiſs.* ℥ i i j. M. ad lentum ignem. Doſis ℥ ß. Platero, præſtantius ad tollendam pi-

cam remedium excogitari non posse quàm sequens, per usum innotuit: ℞ *scoriæ ferri*, vel *limat.* ♂ ℥ ij, macerentur in vini opt. ℔ iij, per triduum, quarto decoq. ad consist. quartæ partis. Colatura reponatur in loc. frig. Dentur in mensa primo haustu potandæ ℥ iiij.

Amylo in jure columbarum, præprimis silvestrium dissoluto & exhibito, multum tribuit antiquitas.

Exterius ventriculo robur addentia diversimodè componi possunt. Capivaccius hoc in usu habet cataplasma: ℞ *ros. rubr. gall. immat. malicor. myrtill.* an. ʒj, *carnis cydon. sub ciner. coct.* ℥ ß, *mastich. absynth.* an. ℈ ß, *fœnic. cymin. cinam.* an. g. v. M. F. Cataplasma.

℞. *herb. absynth. menth. meliß.* an. M ß, *fl. chamom.* p ij, *ros. rubr.* p j, *galanga, calami arom.* an. ʒ j, *caryoph.* ℈ j. Incis. contus. grossè inde sacculo, qui in *aq. absynth. menth.* & *vino rubro* anat. proport. ebulliat, & expressus applicetur.

℞. *ol. stomach. Crat.* ʒ j, *Nm.* ℈ ij, *ol. st. carvi* gt. vj, *caryoph.* gt. iij. M. S. Balsam.

℞. *empl. stomach. Aug.* ℥ i ß, *santalin.* ℥ ß. Malax. c. *ol. menth.* & *absynth. q. s.* extend. super alutam, & irror. *ol. st. calami arom. menth.* an. gt. v. *carioph.* gt. iij. D. syndone obductum.

Hoc, ut & alia topica, commodiùs quidem posticæ corporis parti, cùm huic stomachus propior sit, applicari practicorum nonnulli existimant: Verùm re exactè pensiculatâ, anterior posticæ si non præferenda, tamen par habenda esse videtur.

Aliarum quoque partium, si per consensum ventriculo malè sit, ratio habenda, iisque per varia cuivis parti appropriata succurrendum est. In quibus recensendis, ne in nimium hæc de pica disputatio excrescat, jam non allaboro, sed ad diæteticum fontem propero.

Capvt XV

Victûs ratione præscriptâ colophonem disputationi imponit.

Non temerè est, quod Celsus *in præfat. ad l.* 1. longè clarissimorum autorum conamina laudat, qui in ea parte, quæ

victu morbos curat, seu διαιτητικῇ, strenuè laborârunt, tanquam *sine ea trunca & debilis medicina* esset. In una quippe victûs ratione tantum ponderis est collocatum, docente *Conring. introd. ad art. med. f.7.* ut sæpe eâ rectè observatâ absque medicamentorum usu sanitas recuperari queat.

In NATURALI ergo DIÆTA *cibos* eligant mediocriter nutrientes, eosque in p. q. si à sanguine retento pica ortum habeat. Aves nec pingues nec virosæ sint, ut Aëtii verba faciam mea. Eligantur montanæ, & siccis locis degentes; hæ enim elogio *Aeginetæ de re med. l. 1. c. 82.* faciliùs concoquuntur, & superfluitatibus carent magis, quàm eæ quæ in palustribus locis nutriuntur. Pedes, aures, rostra & ventriculi porcorum passim ab autoribus deprædicantur; è quibus gelatina parari potest. Gravidæ ob præsentem plethoram parciùs, *suadente Aëtio*, cibandæ sunt. Acetaria, qualia sunt: *olivæ* muriâ conditæ, *cappares*, &c. dulcibus obsoniis palmam præripiunt: interim tamen *condit. cydon. mala aurant. granat. ribes, berberes*, &c. admittuntur: quorum succis acidiusculis cibi condiantur. Olera si ægro arrideant; *cichoreum, endivia, portulaca* exhibeantur. *Panis* sit optimè fermentatus; cui & sem. anethi, anisi, cumin. fœnic. admisceri possunt: torreatur, & succo granatorum vinoque generoso imbutus frequenter in usum trahatur. *Passulæ* corinthiacæ in vino & succo granatorum decoctæ, saccharo addito, patinæ infusæ cum supposito pane ustulato ab aliis commendantur.

Consuetudo prava si adsit, sensim sensimque ea immutanda est, cùm omnis mutatio subita sit periculosa, illudque semper animo oberret, quod *Hipp. 2. aph.* 51. præcipit: τὸ κατ' ὀλίγον ἀσφαλὲς, i.e. *paulatim quod fit, tutum*. Admoneatur æger, ut ab ea desistat, incommodaque varia imminentia ei recenseantur; animus blandiloquiis demulceatur; ægerque variis varium in modum præparatis alimentis oblatis ad eorum usum invitetur; cavendo illa, quæ nauseam & vomitum concitare queunt. Nonnunquam decipiendi ægri sunt, quanquam id raro *Saxonia* fieri posse non sine ratione arbitretur, & calcis aut cerussæ loco, creta, vel C.C. calcinatum exhibeatur; cretam si appetant, amylum porrigatur, specificum in pica secundum *Aëtium & Avicennam* re-

 medium

medium. Carbonum vices osſicula pullorum ambuſta, uti & C. C. nondum perfectè calcinatum arroſa ſustinebunt: donec tandem pedetentim prava hæc conſuetudo emendetur. In non gravidis, præſertim fricti ciceris & nucis emptoribus, uti & pueris, ſi hortationibus non obtemperetur, à verbis ad verbera deveniendum eſt, & virgis loriſque perverſæ hujus conſuetudinis immutatio quærenda eſt. Imitandus eſt *Ferdinandus Mena*, qui *cap.* 51. *de medend. febr.* cuidam à morbo convaleſcenti, ciboſque omnes faſtidienti, ita, ut ſolâ nauſeâ moriturus videretur, jus gallinæ, illi maximè detrectanti, oblaturus, digito annulari prehenſo, eum adeò fortiter conſtrinxit, ut, nî ederet, fracturum interminaretur, vixque fracto digito exſorbuit. Deinceps verò præ timore nunquam iejunus conſpectus eſt.

Gravidis, ſi expetitorum participes fieri non posſint, ne aliquid exinde fœtui contingat incommodi, mulierculæ præcautionis loco, aliquid *nucis moſchatæ* cum melle permiſtũ exhibere ſolent. Eundem in finem *Senn. Inſtit. l.* 4. *p.* 2. *c.* 2. commendat aquam è tenellis vitis foliis menſe Majo deſtillatam; vel deſtillatum ex *cortic. citri, aurant.* & *rad. pœon.* per aliquot d. prius in *vino malvatico* maceratis. *Nauſeam* ex aſſumptis contractam vomitus, & ventriculum roborantia, è quorum numero *mala cydonia* primum obtinent locum, emendabunt.

Potum nimium ne cibus in ventriculo fluctuet, evitent. *Vinum* ſit generoſum, odoratum, colore ſubfulvum, & alias laudabilis vini notas habens. Hoc enim quibuscunque cruditatibus abſumendis eſt proficuum. A nimia hujus ſi metuatur caliditate, ſuccis & ſirupis acidiuſculis temperetur. Hoc ſi æger averſetur, ℞. *aq. fontan. in qua rad. acetoſ.* ℥ i ß coxerit ℔ i ß, huic injice *cruſtæ panis toſt.* ℥ j *raſur. Nm.* ʒ j. Stent in infuſ. per n. Colaturæ adde *aq. cinam.* ʒ ij, *menthæ* ℥ ß. *ſir. de berberib. de cond. cydon. de cort. citr.* ana ℥ i ß. M. pro potu.

In VITALI *aër* ſit lucidus, clarus, non humidus, nebuloſus, aut alienis inquinamentis infectus. Sin minus naturâ talis ſit, arte paretur.

In ANIMALI *ſomnus* vigilias ſuperet; per eum enim cruditates

ditates in ventriculo stagnantes meliùs emendari possunt. Contrarium equidem statuit *Laur. Joubertus dec.* 1. *paradox.* 8. Verùm rectè adductis *Hipp. & Galeni* opinionibus refutatur à *Greg. Horst. nobil. exerc. l.* 2. *exercit.* 8. *quæst.* 9. Præterea quoque in somno pica quiescit, quæ aliàs in vigilantibus vigeret. Modum autem non excedat; sic enim utraque *elogio Senis.* 2. *aph.* 3. noxam creant.

OTIUM omninò proscribatur: exercitationem econtrà moderatam præprimis ante pastus ambabus ulnis amplectantur. *Aegineta l.*1. *c.*1. *& Aëtio l.cit.* peregrinationes & fatigationes approbantur: hoc enim pacto non modo animus aliis rebus intentus à depravata illa appetentia divertitur, sed & vitiosi humores collecti ob calorem corporis exsuscitatum meliùs discutientur. Quæ autem vitæ sedentariæ assuetæ sunt, eæ repentinos aut laboriosiores motus, ne abortui causa præbeatur, proscribant.

EXCERNENDA ne retineantur, neque RETINENDA excernantur, summâ curâ allaborandum est.

Ab ANIMI PATHEMATIS vehementibus omninò sibi temperent; conversationes cum hominibus antiquitate generis & gloriâ majorum se dignioribus instituantur; sic enim pudore deterriti ejusmodi aliena vix appetent. *Imaginationes* pravæ conceptæ omni studio animis evellantur. Ut enim hæ solæ dispositionem in corpore latentem excitando non raro hunc affectum inducunt, augent, & conservant, ita iis sublatis, pica cessabit. *Ernestus Burggravius* notabilem in *Achille πανόπλω* reliquit historiam de mercatore in publicum hospitium divertente, cui ab hospita serpens, quem anguillam putaverat, appositus est; quem & mercator pro anguilla comedens, discessit. Revertentem, elapso aliquot dierum intervallo, mercatorem hospes, cognito maritæ errore, cùm interrogaret: num à nuperi hospitii tempore prosperâ usus esset valetudine? annuit mercator. Revelato autem errore, miserè in terram prolapsus exspiravit. Mœstitia si adsit, quod in gravidis nonnunquam, dum eas ingestorum pœnitet, contingere solet, statim, si nihil obstet, vomitus

mitus concitetur; ſin minus ille conveniat, ea, animum variis lactando blandiloquiis ipſis adimatur, variæque, præſertim ſi ſpes ſit, aſſumpta à ventriculo edomari poſſe, adhibeantur perſuaſiones, deſumptæ *v. gr.* 1. *ab ingeſtorum utilitate.* 2. *ab exemplis* earum, quæ citra noxam multò exitioſioribus appetitum expleverunt. 3. *à ventriculi robore*; Naturam gravidas præ reliquis multò validiore ventriculo donâſſe, *& ſimilibus.* Interim tamen ea, quæ concoctionem adjuvare, vitioſamque illam ſtomachi diſpoſitionem emendare apta ſunt, non negligantur.

In viris & non gravidis faciliùs affectuum animi moderamen inſtitui poteſt, præſertim ſi illud Poëtæ attendatur:

— ANIMUM REGE, QUI NISI PARET
IMPERAT, HUNC FRÆNIS, HUNC TU COMPESCE CATENIS.

F I N I S.

